

## **De tuto cantharidum in medicina usu interno / [Joannes Groeneveld].**

### **Contributors**

Groeneveld, Joannes, 1647-1710?

### **Publication/Creation**

Londini : Typis J. H. prostant venales apud Johannem Taylor, 1698.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/bxqfkqnq>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



DE CANTHARIDUM USU — J. GROENEVELT. 1698








L. XVI. Can

25,800/A



25



25

41.690  
D E

*Alex<sup>o</sup> m<sup>o</sup> naghton*  
*Tuto* *Cantharidum*

I N

Medicina Ufu Interno.

AUCTORE

JOANNE GROENEVELT,

Transisalano-Daventriensi, M. D.

E Coll. Med. Lond.

Φεύγετε κανθάριδες λύκος ἄγριος ὕμμε  
διώκε. Trallian.

LONDINI,

Typis J. H. Prostant venales apud  
Johannem Taylor ad Insigne Navis  
in Cœmeterio D. Pauli, 1698.

2

D. E.

Tuto Controversiarum

Liber

Roberti Travers, M.B.

è Coll. S. Trinitatis,

Medicinae Universitatis

apud Dublinenses.

2<sup>a</sup> die xxv. Nov. A.D. 1852.

AUCTORE

JOHANNES GROENEVELT,

Transilano-Daventriensis, M.D.

E Coll. Med. Lond.

Perpetuo repositus in theatro  
Grand. Theatrali.

LONDINI

Typis J. M. Prostante ventalis apud  
Johannem Taylor ad ingressum Navis  
in Cœmeterio D. Pauli. 1698.

---

Viris Doctissimis, Medicis expertissimis,  
Amicis suis plurimum honorandis.

D. RICARDO BLACKMORE, *Eq. Aur.*

Medico Regio Ordinario.

D. FRANCISCO BERNARD, *M. D.*

D. GULIELMO GIBBONS, *M. D.*

Practicis apud Londinenses  
celeberrimis,

Hanc suam Opellam honoris  
& debiti obsequii ergo  
D. D. D.

*Joannes Groenevelt, M. D.*

2

Viris Doctissimis, Medicis experientissimis, Amicis suis plurimum honorandis.

D. RICARDO BLACKMORE, Ed. Am.  
Medico Regio Ordinario

D. FRANCISCO BERNARD, M.D.

D. GUILIELMO GIBBONS, M.D.

Practicis apud Londinenses  
celeberrimis

Hanc suam Opellam honoris  
& debiti obsequii ergo  
D. D. D.

Joannes Greenwell, M.D.

---

---

## Candido Lectori.

**P**Arvulum huncce tractatum in lucem non emisi, ut vanâ quâdam vel eruditionis vel experientiae ostentatione superfætantium librorum numerum augerem: sed ut impiè laceratam famam justissimè vindicans calumniatorum quorundam arrogantiam simul & inscitiam omnium mentibus atque oculis infigerem.

B

Per

ij      **Ad Lectorem.**

2  
Per annos septem ultra vigin-  
ti Med. Doctor fui, ejusdemque  
praxin exercui, & quanquam plu-  
rima morborum genera sedulo cu-  
raverim, variosque diversimodè  
afflictos, Deo auspice, sanitati re-  
stituerim, præ cæteris tamen, dum  
& Lithotomiæ incumbo, renum &  
vesicæ mala frequentius mihi in-  
dies obvenire: quapropter his di-  
rectè magis studia animumque  
applicanti Cantharides Campho-  
râ correctas in ischuriis, dysuriis,  
stranguriis, vesicæque ulceribus  
nobilissimum tutissimumque esse  
remedium, multiplici experien-  
tiâ edoctus fui.

Harum enim ope, aliis frustra  
tentatis, nunc viscidam, nunc pu-  
rulentam materiam, nunc putri-  
das

Ad Lectorem.      iij

das & ulcerum acredine erosas  
membranulas tutò foras eduxi:  
idque non rarò, nec per accidens,  
sed tanto tamque frequenti cum  
successu, ut ultra centum sexûs  
fæminei potenti hoc diuretico sa-  
naverim.

De fæmineo saltem sexu lo-  
quor, quia viris Cantharides in  
ipsa substantia non adeo conveni-  
unt: In fæminis via latior est &  
brevior quam in viris.

Sed nihil tam honestum aut  
utile à medico effici posse, quin  
aliquando ab invidis vituperari  
queat, sequens luculenter proba-  
bit historia.

Accidit Anno 1692, ut voca-  
rer ad quandam Susannam Whi-  
tall, è Parochia S. Salvatoris

vi Ad Lectorem.

Southwark; huic vesicæ ulcere  
laboranti Cantharides, unâ cum  
Camphorâ earum aciem obtun-  
dente, præscripseram, cum anno  
sequenti à Præsidente & Censoribus  
Med. Lond.

V I Z.

Thomâ Burwell, Præsidente;

Humphrey Brook,

Josiâ Clerk,

Guilielm. Briggs,

Fredr. Slare,

} Censoribus.

per eorum Bedellum citor, ut illis  
istiusmodi præscriptionis ratio-  
nem redderem, & criminationes  
quasdam falsè satis & imperitè  
in me allatas repellerem. Coram

his

## Ad Lectorem. v

his causam egi, demonstrans fæminam hanc præscripta mea (in scriptis licet data) non servasse, sed, me absente, cum contrarium injunxissem, stimulantes assumpsisse pilulas è Cantharidibus præparatas, reliquas verò Camphoratas in totum omisisse.

Cæterùm, ipsam, antequam opem meam implorasset, à difficiliore partu debilitatam, diu lecto affixam fuisse.

Denique eam, licet perperam medicamenta mea assumpsisset, nihilominus post earum usum melius se habuisse: hisce in rem meam accedebat, quod Censorum unus laudandæ Cantharidum efficaciam non auritus solum sed & oculatus testis fuerat, Josias Clerk Elect.

vi Ad Lectorem.

quibus omnibus ritè perpensis  
me absque omni Censura dimi-  
serunt.

Anno verò præsentè,

Stabant irati scabrâ rubigi-  
ne dentes,

quod salsa quædam verba &  
fellis fortè plena inter me &  
quendam ex hujusce anni Censo-  
ribus jactata fuerant, quorum ego,  
nisi memoriam de novo fricuiisset,  
haud memineram, ut easdem ac-  
cusationes iterum refutarem; a-  
tùm nempe agerem, vocatus sum,  
adfui; eadem quæ ante argumen-  
ta protuli; in duobus canibus de-  
monstrativum coram ipsis, Præsi-  
de videlicet & Censoribus,

Tho.

## Ad Lectorem. (vij)

Tho. Millington, *Eq. Aur.*

*Præside;*

Thoma Burwell,

Rich. Torlesse,

Wilh. Dawes,

Tho. Gill,

} *Censoribus.*

*instituendum experimentum obtu-  
li; quorum huic simplices, alteri  
verò correctas Camphorâ Cantha-  
rides propinassent. Porro muli-  
eres earundem usu curatas, quas  
habeo quamplurimas, & Medicos  
nostri Collegii Membra mirandæ  
earum virtutis testes oculatos  
proferre in me suscepi. Sed sur-  
dis narratur fabula! omnia hæc  
flocci faciunt, respiciunt, abjici-  
unt, & ubi*

## viii Ad Lectorem.

———— Vincere apertè  
Non datur, infidias armaq; tecta parant.

*Trium enim muliercularum, clam,  
& me absente, juratarum, calum-  
niis rixosisque convitiis faciles &  
benignas aures præbuerunt: mihi  
verò auditori tantum, reponendi  
licentiam, quamvis rogati, non con-  
cesserunt, sed inauditum abegerunt.*

*Diebus verò quatuordecim elap-  
sis chartâ quadam manibus pro-  
priis signatâ, sigilloque firmatâ,  
me sceleratorum carceri (New-  
gate vulgò dicto,) malæ praxeos  
ream asseverantes, tradiderunt.*

*En historiam! quam præmit-  
tere necessarium duxi, ne splen-  
dido adversariorum charactere  
(tanquam fuco) fortè decepti ex-  
tranei,*

## Ad Lectorem. ix

tranei, cæterique ex solâ ignominie notâ, mihi publicè inustâ judicantes, iniquè de me sentiant: Quid enim fit?

Censores tam illustris Collegii nequissimorum Carceri includunt, non circumforaneum, sed Medicinæ Doctorem, ejusdemq; cum illis Collegii membrum, quod ab extructis vel carcere vel Collegio nemo unquam vidit vel audivit; quæ omnia iis qui rerum superficiem solummodò observant satis manifestam culpam, verisimilem saltem arguere confiteor.

Quid enim ex hisce rerum nostrarum ignari aliter colligent, quam gravissimos hos viros, quos ex doctissimis & in arte medicâ peritissimis eligi fas est, tam publico

x Ad Lectorem.

2  
lico contemptui collegam, totum-  
que cum eo Collegium exponere  
noluisse, nisi maximum quoddam  
& horrendum crimen, æquissima  
tantæ contumeliæ causa præces-  
sisset.

Quanto majorem ergo indig-  
num hoc earum facinus justitiæ  
speciem præ se fert, tanto etiam  
major illata est injuria innoxio.

Totum enim, quantumcunque  
est quod commisi scelus, præscri-  
ptio est Cantharidum, quas ta-  
men jure medico non solum legi-  
timum verum etiam utilissimum  
remedium existere, earumque  
usum plurimis etiam ante Christi  
natalitia annis in hunc usque di-  
em ab expertissimis, laudibus  
evehî, clarissimorum virorum te-  
stimoniis

Ad Lectorem. xi

*stimoniis hoc in tractatulo proba-  
bo: porro peccantem, siqua sit,  
Cantharidum acrimoniam optimè  
Camphorâ corrigi ex ejus virtuti-  
bus deducere conabor, denique his  
omnibus historias quasdam addam  
verissimas, ubi Cantharides Cam-  
phoræ junctas tutò & cum suc-  
cessu sæpius insperato propinavi.*

*Quod si tot medicorum autho-  
ritates, tot eruditorum experimen-  
ta tumidulos aliquot medicos  
confutare nequeant, suspicandum  
erit, illos imprudenti Canthari-  
dum administratione aliquando  
suis ægrotis noxam intulisse, tristi-  
que hâc experienciâ fretos ani-  
malium regno eas expulisse: Sed  
hâc de causâ si omnia ex his in-  
sectis, quantumvis artificiosè præ-  
parata*

## xij Ad Lectorem.

parata rejicienda sint, verendum est, si fortè apes audacter nimis earum alvearia appropinquantem Censorium lædant, ne eâdem ratione mel è re medicâ tollatur.

Nulline ergo de arte medicâ præterquam tribus, quatuorve judicare licebit? Certè nisi omnisciis tales haberi velint remedia dari possunt, quæ & ipsi ignorant, multa enim à curiosissimis naturæ in generis humani commodum inveniuntur quotidie, quæ tanquam noxia damnaisset antiquitas; quid, si mediâ hieme medicus paralyticos aliisque artuum doloribus laborantes calido lecto eriperet, & in aquam non solum frigidam sed & sale nitri frigidiorē factam immergeret, nonne

## Ad Lectorem. xiiij

nonne hanc malam vocarent pra-  
xin? Ast isti caveant! constat e-  
nim doctissimum expertissimumq;  
practicum Edvardum Baynard,  
M. D. multos hoc modo restituisse,  
qui adhuc in vivis & ejus ope  
sanati, veritatis hujus testes in-  
dies adhiberi possunt; hanc mi-  
hi ipse fide dignissimus ille me-  
dicus methodum retulit, scriptis-  
que meis suo nomine inserendi  
veniam dedit.

Cæteris ergo licet omnibus re-  
clamantibus sola dictatorum isti-  
usmodi infallibilis erit opinio: his  
enim paucisque aliis minoris no-  
tæ horum iram metuentibus ex-  
ceptis, mihi assentiuntur quot-  
quot sunt Collegii nostri ætate  
seniores, doctrinâ eminentiores  
vel

#### xiv Ad Lectorem.

2  
vel praxi celebriores medici, honorandi hi amicissimique viri christianâ ducti pietate injustè oppressum vindicârunt fratrem, & in foro coram iudice mei innocentiam experienciâ suâ confirmârunt.

De his omnibus itaque, quæ in Cantharidum laudem, tam ab antiquorum quam neotericorum praxi afferuntur, si nihil audiverint, quam stupenda est horumce ignorantia! hæc vero si sciverint, proh Deum! quanto major erit malitia? Vel ipsum appellarem Cæsarem, stataq; Regni comitia, & viva legum oracula sint iudices, sint arbitri, annon summè noxia sit dictatorum ista medicos pro lubitu vinculis mandandi potestas,

## Ad Lectorem. XV

testas, quam penes sese esse jactant, quandoquidem Med. Doctorem propter usum medicamenti tot retro sæculis ab auctoribus præscripti, è bonorum consortio in parricidarum & furum societatem relegarunt, talibusne tanta credenda est auctoritas? qui specioso malæ praxeos titulo crimen adornantes illius vim vocis, sicque ipsam, quam tantâ vehementiâ urgebant accusationem nequaquam intelligebant, publicè enim patuit illos nescivisse malam praxin absque malo animo factitari non posse, antequam à Scientissimis, & legum interpretationis potestate Munitis edocti fuissent, qui non solum eorum ignorantiam erudiverunt, sed temporis

## xvi Ad Lectorem.

poris aliquid amplius concessere,  
quo se ipsos recolligant, & lucrum  
inde mergens probè æstiment.

Quam latus hic campus, in-  
genue Lector, vel in invidiam  
justis opprobriis invehendi, vel  
eorum inscitiam ut meruere  
arguendi, sese aperit? Sed  
ut iræ indulgere non lubet, sic  
nec talibus animus vacat, qua-  
propter eos missos faciens, sequen-  
tia ut attentè legas, & candidè  
interpreteris, enixè rogo.

DE

D E

*Tuto Cantbaridum*

I N

*Medicina Ufu Interno.*

**I**Nter plurimos morbos  
 quibus genus humanum  
 miserrimè affligi solet;  
 tam sedis varietate, quam  
 atrocioribus symptomatum  
 torminibus, eminet Lithiasis;  
 quamvis verò in multis corpo-

C

ris

ris partibus, vesiculâ nempe fel-  
lis, manibus, pedibus, cæteris-  
que lapides generari, innumerae  
practicorum observationes do-  
cent, præcipuè tamen renes &  
vesica urinaria crudeli hâc pe-  
ste infestantur.

Vanas admodum huic malo  
causas assignârunt Medici: Ve-  
teres plerique pituitam crassam  
calore renum in lapideam ma-  
teriam degenerantem afferunt ;  
alii succum lapidescentem à spi-  
ritu quodam lapidifico, & cal-  
culosâ renum dispositione instar  
lapidis induratum. Sed omnia  
hæc inter qualitates occultas  
ponenda, quibus rem satis ob-  
scuram reddunt obscuriorem.

Neoterici quidam pro generando in renibus calculo adducunt particulas sanguinis terrestres & tartareas, quæ viscidioris lymphæ (quæ cum urina præterlabitur, & hypostasis audit) glutine conjunctæ, & salibus quibus lotium onustum est, ulterius compactæ, lapidis naturam induunt & figuram, concurrente ad hoc opus renum compage, & flaccidine & dilatatione glandularum renalium ductuumq; urinosorum.

Chymici nonnulli à spiritu acido, errore ventriculi in primis viis generato, & postea cum spiritu urinæ concurrente, calculos gigni asseverant, ex

fermentatione enim acidi & alcali tertium hoc, falsum nempe, sub forma lapidis relinqui, sentiunt.

Alii verò iisdem principiis nixi, hæc sufficere negant, quia in renibus alcali volatile non purum sed acido permixtum invenitur. Quapropter alcali illud prius solvi, & ab acido proprio leni putrefactione separari debere, statuunt, ut ita liberius ab acido vitioso iterum arripi & in calculum constringi queat, idque fieri in renibus, urinâ aliquatenus putrefactâ, affirmant. Probant hi in matulis, quamvis urina clara & perspicua excreta sit, si ad tempus aliquod steterit, ubique

ubique corrumpi & leviter putrescere incipiat, primo arenulas & successivè crustas calculosas earum parietibus adnasci, quod fieri non posset nisi acidum hoc urinæ, quamvis debile, ab alcali suo putredine separatum denuo illud novo coagulo inspissaret. Huc pertinet historia Helmontii de Lithiasi ex esu asparagi contractâ, asparagus enim eo ipso quo foetidam reddit urinam, eam ad aliqualem putredinem, sicque salium divisionem disponit, quod si contingat in subiecto, ubi acidum vitiosum illud peccat, illic oriri calculos probabile est.

Hi verò quavis de causa in renibus orti, per ureteres in vesicam delati, vel, per urethram si minores sint, ut excernantur, vel si majores, Lithotomia ut extrahantur, unica spes est.

Sed leviora hæc sunt Lithiasis mala.

Nunc calculorum scabritie renum inflammationes inducuntur, abscessus & ulcera: nunc lapides asperi & acuti per ureteres jam puris ex ulcere delapsi acrimoniâ excoriatos lentissimo motu in vesicam aguntur, quæ agroti commotione à calculo vellicatur, vulnera urinæ acredine in ulcera abeunt, horum pure vesica repletur, adest dysuria, pus urinæ

ræ egressum impedit, sicque ischuria, ipsaque tandem mors insequitur.

Has sævi morbi gradationes breviter absque dolorum & cruciatuum, tam subjectarum quam per consensum affectarum partium enumeratione præmittere non abs re judicavi, tum quia Lithiasis illorum renum & vesicæ malorum, in quibus Cantharides feliciter præscripsi proxima sæpissimè causa fuit, tum quia Lithotomiæ studium, cui per multos jam annos operam dedi, ansam præbuit frequentius ægrotos invifendi, qui prædictarum partium morbos, quamvis non à calculo originem ducentes, ob

symptomatum affinitatem, mihi sanandos crediderunt.

Sed quanquam in hac arte quam profiteor, nil quam quod honestum decet, egerim, nullâque alicujus rei justificatione indigeam, invidiosè tamen ab adversariis detracta fama optimi medicamenti, alias non necessariam defensionem invito extorquet. Ut autem pateat illorum Censuram, ignorantiam, accusationemque malitiam fuisse, tam Cantharides quam Camphoram seorsim examinare lubet.

*Joh. Daniel Geyerus M. D. Elect. Palatin. & Academ. curiosior. German. Medic. celeb. tractat. suo Physic. Med.*

*hæc*

*hæc habet verba : Quis usus à  
tam vili mûsca Cantharide po-  
terit proficisci ? aut qualis cu-  
riositas, in minutissimis maxi-  
mè sese patefacit divini condi-  
toris sapientissima benignitas &  
benignissima sapientia etiam  
circa muscas occupata,*

*--Sua est vel vilibus addita virtus,  
Nilque adeo abjectum est, nihil  
est tam vile sacratum,  
Quin medicamen habet---*

Cantharis sive etiam Canthari-  
da, græcè *Κανθαρίς*, Angl. *A  
Spanish Fly.*

*Cantharidum succos dante paren-  
te bibas, Ovid. Irin.*

Sunt

Sunt alii qui Scarabæum vocant Cantharidem sive muscam Hispanicam: Sic gemma quæ Scarabæorum imaginem refert Cantharias dicitur, *Plin. lib. 37. cap. 11.*

Similitudo pronunciationis huc transfert illud vini genus transmarini quod vocatur Cantharites, de quo potest videri *Plin. lib. 14. cap. 7.*

Cantharis sive Cantharida est musca Hispanica, corpore crasso & oblongo, luteas lineas in pennis transversas habens, ex flavo virescens, constans variis partibus tam internis quam externis.

Generatio Cantharidis fit ex vermiculo, foecundissimè in fraxino. Alii

Alii dicunt erucas illas ex humore foliorum fraxini, ligustri, &c. fieri.

Scaliger ex. 191 de subtil. paragr. 2. refert se, cum tyro esset, muscam grandiore[m] cepisse, & in vola manûs aliquandiu retinuisse, ac postea vermiculos pluscûlos in ea invenisse.

Hoc videmus etiam per totam æstatem, ubi ex semine muscarum relicto in carnibus, vermibus, ex illo rursus musca provenit, utiquam eleganter probavit *Fr. Redi* de insect. generat.

Cardanus illas ex ovo generari voluit, *lib. 9. pag. 224.* illa autem ova coitu foecundari experientiâ propriâ confirmat.

Sca-

Scaliger subtil. ex. 191. paragr. 2. quando ait; quod cicendulam reprehenderit cum suo mari in coitu, quæ firmiter illi adhærebat, ac sub vesperam multa ova edebat, quæ intra viginti horas vivificantia avolârunt.

Cantharidum ova foliis imposita calori solari excludenda relinquuntur, qui calor sensim se insinuat, organa ad perfectionem magis promover, quibus absolutis incipiunt sese movere. Plura curiosiora (ad rem tamen nostram non facientia) de Cantharidibus post absolutas circa hujus tractatuli finem positas historias inveniet Lector; pergo ad auctoritates. Veteres

res medicos eas internè adhibuisse ex seq. patet.

Exhibe Cantharides sine alis & capite quatuor tritas, & in vini albi heminâ dimidiâ dilutas, & modico etiam melle affuso. Sunt verba Hippocratis medicorum principis lib. de morb. intern. text. 34.

Idem de diætâ acutor. lib. 4. text. 104.

Hydropico pro potione dat Cantharides tres, ablatis capite, alis & pedibus, in tribus aquæ cyathis, quum verò epoto medicamento laboraverit inunctus prius, & ex oleo edat panes calidos.

*Galenus* in commentario ad eundem locum postquam exemplo

emplo docuisset, vanam illam cautelam esse, addit, nonnullos *citra bibentium læsionem* diuretico medicamento ex Cantharidibus confecto usos fuisse, idem de simpl. medicam. facult. lib. 11. text. 44. non tantum externum earum usum laudat ad lepras & pforas, sed præceptorum suorum quendam illas medicamento diuretico miscuisse, affirmat.

Dioscorid. lib. 2. cap. 66. Nonnulli, inquit, Cantharides antidotis admistas hydropicis in auxilium tradiderunt, quippe quæ urinam moveant.

Ad proritandum menstruum profluvium & ad excutiendos foetus in utero mortuos,

os,

os, contra sterilitatem & hydropem eas commendat Hippocr. lib. de morb. mulierum, de sterilibus text. 180.

Eadem de iis testantur Serapion & Sylvaticus. Rhafis eas contra calculum commendat. Magnus ille Avicenna dixit: Parum de eis adjuvat medicinas provocativas absque nocu-mento, & datur in potu una ei, qui conqueritur de urina sua, confert, &c.

Idem Fallop. de med. simp. purg. cap. 6. p. m. 37. Rondelet. ap. Renod. (in ischuria) inst. pharmac. lib. 4. cap. 9. p. m. 106.

Recentiores medicos illis usos fuisse testantur Ulysses Aldrovandus,

drovandus, Capiuaccius, & alii  
 plures, ait enim Capiuaccius,  
 736, 765, *Ego ab omnibus de-*  
*sertos in hydropē & stranguriā*  
*planē Cantharidum usu restitutos*  
*vidi.* Geyerus tractat. physic.  
 med. sect. 3. cap. 4. de dosi  
 Cantharid. Miror summope-  
 re, quod Riverius totam drach-  
 mam dederit foeminæ febre  
 continuâ laboranti.

Oswaldus Gabelchoverus in  
 libro suo de medicinâ, dedica-  
 to Ludovico, Duci de Wirten-  
 berg, hanc præscriptionem tra-  
 dit in calculo vesicæ.

℞ *Cantharid. præpar. ʒi. spec. dia-*  
*tragacanth. frigid. ʒi. aq. cerasor.*  
*nigror. ʒi. M.*

Joannes

Joannes Langius epist. med.  
 47. eas *innoxie* tradi posse do-  
 cet, addito videlicet Cerafo-  
 rum gummi, lacte nativo &  
 artificiali, *nullus exinde effectus*  
*funestus timendus.*

Hieron. Fabritius ab Aqua-  
 pendente, part. 1. p. 258. Uri-  
 nae suppressioni medelam ali-  
 quando attulimus, & hæc fuit,  
 Aut una, aut duæ tresve, ad  
 summum quatuor Cantharides  
 integræ cum alis & pedibus in  
 pollinem redactæ, & cum  
 milio solis & polio montano  
 ad scrupulos duos exhibitæ, &  
 cum syrupo de duabus radici-  
 bus in bolum conformato,  
 mox quatuor aut quinque un-  
 ciis lactis sem. melon. extracti

D cum

cum aqua ex thecis fabarum propinatis. Vid. Wedelium lib. 11. sect. 11. cap. 5. de antidotis specialibus.

Optimè Hofmannus paraleipom. officinal. cap. 17. p. 647. Medici Cantharides suis usibus accommodârunt, tunc scilicet cum urinæ aliâ ratione moveri non possunt.

Doctissimus & propter ejus scripta notissimus per totam Europam Tho. Bartholinus, primarius in Dania Medicus & Professor, earum usum commendat in historiis Anatomicis, Centur. 5. histor. 82. *hæc habens*; Nonnulli formâ pulveris, alii trochiscorum admixtis aliis corrigentibus Cantharides

tharides propinant, tutissimum per infusionem modum aperiam: Scrupulus unus Cantharidum in pulverem redactus infundatur unciiis tribus vel quatuor Vini Rhenani vel Spiritus Vini, stetque in infusione per aliquot dies, & ex contento liquore cochlear unum aliis seu vini, seu cerevisiæ admisceatur, & ex hoc mixto, primo die unum, altero die duo cochlearia, & sic deinceps propinentur in gonorrhœa virulenta, lotii suppressione, & calculo; felicem hujus potionis eventum expertus est.

D. Jac. Fra. Cotzbac, vir medicâ eruditione & experienciâ inclytus, cui mecum hæc lector debet.

Idem iterum Bartholinus in  
ejus centuria 5. epist. 53. de  
Cantharidibus inquit, quarum  
felicem successum non semel  
sum expertus.

In miscellan. curiosor. Ger-  
man. tom. 1. p. m. 256. *hæc  
invenitur historia*; In superiore  
Hungaria (ultra flum. Tibisc.)  
sæpissime Hungari laborant  
novo morbo; subito ipsis in-  
tumescit collum, post ingens  
succedit calor in capite, tan-  
dem in totum corpus transiens,  
ii, qui non statim remedium  
adhibent, intra dies quatuor  
pereunt. Morbus ipse ad speci-  
em hydrophobiæ accedit, cu-  
ram tali modo instituunt.

Aflu-

Assumunt pro una dosi Cantharides pulverisatas numero decem, pulvis epotus ipsis interdum largum sudorem, interdum copiosum urinæ fluxum excitat, citra ullum tamen dolorem.

Trincavellus, p. 906. Cantharides utiles sunt ad atterendos & comminuendos calculos & ad cienda lotia, & sæpè cum magna utentis utilitate, & citra ullam noxam, cum quis illis utitur rectè paratis.

Epiphanius Ferdinandus histor. 81. fol. 281. Cur Cantharides Apulenses sunt Bezoar veneno tarantulæ? An ex tacita antipathia & sympathia hoc potest provenire? In Apuleia

oritur Phalangii genus, cuius  
morsus est perniciosissimus, ibi  
oriuntur Cantharides, quæ in  
potu datæ numero tres vel qua-  
tuor succurrunt morsibus ta-  
rantulæ; nil natura voluit de-  
relinquere sine pari in hoc  
mundi theatro.

Benedict. Silvatic. consil. med.  
centur. 3. cap. 32. de hydrope:  
omniumque maximè urinam  
ciere poterunt Cantharides ex-  
hibitæ integræ pulverisatæ cum  
pulvere ameos & rutæ, haustis  
statim ab ipsis lixivii ex cineri-  
bus florum genistæ unciis quin-  
que cum gr. 6. salis absinthii  
chimiçâ arte parati, & unciâ  
unâ butyri recentis.

*Fiscerus*

*Fiscerus* corp. med. imperat.  
lib. 3. tom. 26. paragr. 6. no-  
biliss. suum laudat extract. è  
Cantharidibus, quod hoc modo  
describit.

℞ *Cantharid.* ℥ij. *mell.* ℥iv. *vin. Mal-*  
*vatic.* ℥vi. *diger.* in M. B. per men-  
sem, colentur. Colatura insole-  
tur & exiccetur ad mellis consi-  
stentiam. ℞ hujus extracti ℥iiss. *rad.*  
*ering. satyr. condit. an.* ℥i. *ZZ.*  
*chin. an.* ℥ss. *cerebr. passer. assat.* ℥ij.  
*scinc. maris* ℥i. *ambr. mosch. an. gr.*  
*iiij. ol. cinamom. gutt. viij. M. Dosis*  
*℥i. superbibendo vinum Malva-*  
*ticum.*

Eruditione præclarus D.  
Charleton, tam sæpe collegii  
nostri Censor, nuperque ejus  
Præses in libro suo de Lithiasi,  
Cantharides tanquam opti-  
mum

mum medicamentum commendat.

Doctrinâ & ingenio insignis Martinus Lister, Societatis Regiæ & Coll. Med. Lond. Socius, exercitatione suâ de calculo humano, pag. 243. *seq. habet historiam*; D. Green, Coquus aliquoties calculos è renibus excrevit, ac ultimo paroxismo quo me accersivit, ut opem ei ferrem, ex communi consilio cum D. Barwick collegâ meo dignissimo dysuriam ad triduum passus est magnâ corporis jactatione atque anxietate, *in extremis autem cum de hominis vitâ desperatum fuerit*, sic præscripsimus.

℞ Can-

℞ Cantharidum probè tostarum  
 ʒss. aq. spermat. ranar. tbi. M. F.  
 Haustus.

Paucis horis elapsis urinam  
 ad quatuor minimùm libras  
 reddit & unà plurimos calcu-  
 los. Convaluit.

Millepedes sive Aselli, Scorpio-  
 nes, Lumbrici terrestres, Apes,  
 Formicæ, Cantharides, hæc om-  
 nia mirificè calculos expellunt,  
 idq; communi ferè virtute, quâ  
 vehementer stimulant ductus  
 viscerum excretorios, præcipuè  
 majores renum & vesicæ.

Ex usu Cantharidum ductus  
 urinæ majores ad vehementem  
 contractionem & expulsionem  
 stimulantur. *Lister.*

Can-

Cantharides sale acri constant, ut ex earum vi arguitur, illarum sal in sanguinis sero (ut salium mos est) statim dissolvitur, serum autem istiusmodi sale imbutum & imprægnatum in aliis præter vesicam partibus nullum parit effectum, quoniam à liquore sanguinis oleoso & balsamico retunditur, ejusque actio retardatur, sed cum idem serum per renes in vesicam transcolatum est, & sui juris factum, tunc temporis ejus tunicas validissimè ad contractionem & expulsionem stimulat.

Novi hominem gonorrhœâ virulentâ laborantem qui ultra grana sexaginta Cantharidum  
fali

fali prunellæ mistarum laudabili cum successu assumpsit. Jansonius libell. flagello Veneris dicto, p. 38. Si lector plures auctoritates velit, vid. consil. med. Cratonis, pag. 380. Bernard. Vezzachæ observat. 51. pag. 107. Nicol. Fontanum de morb. mulierum, pag. 100. Amat. Lusitan. centur. 4. curation. 19. pag. 338. Zacut. Lusitan. lib. 2. histor. 67. observ. 32. Æginet. lib. 7. cap. 10. Aëtium lib. 3. cap. 174. Plin. nat. histor. lib. 29. cap. 4. Idem lib. 11. cap. 35. Joan. Heurnii method. ad praxin, pag. 247. Job à Mekerem observ. 34. pag. 146. Ettmull. not. in Schroder. pag. 247, &c. Tot

Tot veterum & recentiorum auctoritates, tot doctissimorum virorum testimonia in Cantharidum laudem à tot retro annis ad hæc usque tempora adhibita, si non utilem, saltem legitimum esse earum usum, quin probent, quis sanâ mente præditus dubitabit? experientia enim ingeniosissimorum & famâ notissimorum artificum cujusvis artis quam profitentur tanquam præceptum posteritati relinquitur.

Hæc ergo ad defendendam Cantharidum præscriptionem sufficiunt.

Nunc verò, me remedium illud fati antea præclarum multò utilius reddidisse, ostendere animus est. Can-

Cantharides quamvis inter-  
no usui ab auctoribus passim  
commendentur, eximios ta-  
men medicos illas parvâ in dosi  
& circumspectè admodum ad-  
hibuisse non ignoro, impruden-  
tes enim & artis medicæ impe-  
ritos summo cum ægrotanti-  
um detrimento Cantharidibus  
non semel usos fuisse, pluri-  
mis exemplis constat, easque  
à multis idcirco tanquam no-  
xias rejici, non me latet: sed  
nimis revera hi sunt rigidi qui  
propter aliorum ignorantiam  
medicamenta damnant, quæ à  
peritis sine noxa præparari que-  
ant.

Mercurius licet, teste Gale-  
no lib. 3. simpl. med. facultat.  
cap.

cap. 17. totâ substantiâ humanæ naturæ inimicus videatur, & sit (Plinio authore lib. 33. cap. 6.) venenum rerum omnium, tamen ritè paratus, ut vim bezoardicam induat, verum est naturæ humanæ Balsamum, febrium plurimorumque morborum panacea, morbum obstinacem, contumacem ac tædiosum, *Belluam Gallicam* domans & integrè extirpans.

Helmontius lib. de febribus cap. 14. Præcipitatus diaphoreticus Paracelsi, ait, ore assumptus curat carcinoma, lupum, hydropem, asthma, & morbum quemcunque chronicum; complet enim solum medentium desideria.

Buty-

Butyrum Antimonii licet  
præsens sit venenum, arte ta-  
men ita curatur, ut bezoardica  
exinde prodeant generosissima.

Nonne cucumer asininus  
corrigitur menthæ succo? Non-  
ne nux vomica cortice citri?  
Nonne opium castoreo, rutâ,  
origano? Nonne auripigmen-  
tum oleo è nucleis pini? Elle-  
borus nymphaeâ? Et hyoscya-  
mus nasturtio?

Sic venenata animalia, Ser-  
pentes, Viperæ, Scorpiones  
(à quibus humana natura ali-  
às abhorret) debitâ præparati-  
one præcedente, alexipharma-  
câ virtute imbuuntur.

Si ergo concedamus Cantha-  
ridibus noxium quid inesse,  
non

non sequitur, eas corrigi non posse, sed laudandus certè est ille medicus, qui servatis Cantharidum virtutibus nocentem earum acrimoniam appropriato correctorio temperare callet, & ut enumerata venena suis corriguntur antidotis, sic Cantharides optimè camphorâ corrigi à plurimis annis expertus sum.

*Sic Tigres subiere jugum victoris  
Iacchi,*

*Sic dominis prosunt monstra  
domata suis !*

Ut autem pateat, remedium hoc aptissimum esse ad vim Cantharidum septicam corrigendam

gendam camphoram (præstantissimum, verissimum, ipsissimumque præ aliis omnibus Cantharidum correctorium) in medium producere animus est; cujus natura mirabilis, & vires in omnibus ferè totius corporis morbis instar panaceæ cujusdam stupendæ. Flammam instar resinæ concipit tantam, ut etiam in aquam projecta flagrare pergat. Aëri si exponatur tota consumitur, & instar salis cujusdam volatilis ex oculis in auras evanescit. Et quia quam rarò à nostratibus medicis præscribitur, quamvis magni momenti sit medicamentum, dignissimum est ut altius indagetur.

E Camphora

Camphora Græcis *Κάπυρα*, Arabibus Capur five Cafur, ab arbore Capur è qua ceu refina five lachryma five gummi exstillat.

Quid fit Camphora, veteres non annotârunt. Unde credibile est eam illorum tempore fuisse ignotam. Matthi-olus in Dioscoridem, cap. 75. suo testimonio hanc rem corroborat.

Mœbius, Electoris Brandenburg. Medicus in sua Camphoræ anatomia hæc habet (& plura alia quem Lector inspiciat velim) sic enim loquitur: veteres, Galenum, Dioscoridem, cæterosque istius seculi scriptores non solum nihil  
de

de Camphora annotasse, sed ne novisse quidem affirmat Matthiolus, quem ego supra citavi.

Garcias, Proregis Indiæ Orientalis Medicus in historia aromatum & simplicium quorundam medicamentorum apud Indos nascentium, ait, non dubium est, quin multum Arabibus, quibusdam in medicamentis debeamus, aliquando enim meminerunt, quæ à veteribus Græcis neglecta, aut ipsis ignota fuerunt. Non pauci fuerunt, qui Camphoram mineralibus annumeraverunt, ac è butirorinum genere arbitrati sunt. Hujus sententiæ fuerunt Averrhoës, Agricola, Carda-

Cardanus. Quod Camphora non sit gummi ita probat citatus Mœbius: nullum gummi ardet, nec oleo sed aquâ dissolvitur; Camphora ardet & nequit dissolvi nisi oleosum aut spirituosum adjeceris. Camphora igni amicissima est, quem semel amplexa, difficilis dimittit.

Factitia altera Camphora est, in laminas pelluentes digesta, *εργαζομένη*, ignis calore elaborata. Hæc certè est quæ in pastillis magnis ad nos affertur, & in officinis passim sub nomine Camphoræ venalis habetur.

Camphora an calida sit, an frigida hujus non est loci, vanas  
nas

nas enim illas disputationes relinquens, ea quæ de Camphoræ virtutibus ex propria experientia & aliorum observationibus notavi, hic referre non dedignabor.

Veræ Camphoræ ortus arbori adscribendus in India Orientali copiosè crescenti, cujus lignum album, fragile, leve. In cujus ramis quandoque continetur aliquid de vestigiis Camphoræ, ut in repositorio suo curiosiss. ostendit D. Charleton.

Garcias affirmat se à viris fide dignis habere arborem esse nuci juglandi similem, vastam ac præaltam, latissimè sese fundentem, & aspectui perpulchram.

Martinus Martinius, Jesuita,  
in Sinicâ histor. lib. 8. p. 310.  
lignum Camphoræ odoratum,  
& ad palatia extruenda aptum  
esse, confirmat.

Sextus Sinæ imperator Hi-  
aous, immortalitatis adipif-  
cendæ causa, curavit extrui  
palatium ex meris lignis odo-  
riferis, ut Cedro, Cupressâ,  
Camphorâ, & id genus aliis,  
cujus odor ad viginti stadio-  
rum distantiam diffusus facile  
percipiebatur, ut historici scri-  
bunt.

Crescit hæc arbor in Burneo,  
Bairos, Sumatrâ copiosè. Quod  
in Java majore moderno tem-  
pore quoque inveniatur hæc  
arbor, testis est Mandesloh in

itine-

itinerario Regionum Orientalium per clariss. Olearium conscriptæ.

Quomodo autem Camphora ex hac arbore prodeat, non omnes unum idemque sentiunt. Quidam enim ceu medullam in arbore colligi & deinceps extrahi putant, Garcias expressis hoc negat verbis: Est autem, ait, Caphura gummi (non medulla aut cor, ut alii putarunt) quod in medutullum ligni cadens, deinde extrahitur, aut per rimas exsudat sine ullis rubentibus aut nigricantibus maculis, non autem organis elicitur, neque ad candorem conciliandum decoquitur.

Scaliger ex aliorum mente quoque affirmat Camphoram vel ex sua matrice arbore nimirum extrahi, vel à natura ipsa expelli; nam quædam è venis eximitur, in quibus hæret quasi crusta quædam. Aliquando rubro exit cortice, & crescit resinarum modo, primum colorata, quæ deinde sale aut arte fit candida.

Camphora igitur genuinus hujus arboris foetus est, non autem ex fulguris materia accensa arboribus in India adhæret, quemadmodum in aliis locis è fraxino & ornis ex rore Cœlesti Manna interdum agglutinatur, ut frustra ex Serapione conjicit Cæsalpinus.

Camphora

Camphora differt ratione locorum in quibus crescit, & ratione depurationis: duorum enim generum est, *viz.* de Burneo, & quæ ex China affertur. Caphura de Burneo, ait Garcias, nunquam ad nostras usque regiones penetravit, saltem cum isthic essem videre non contigit, nec id mirum, quandoquidem hujus libra tanti emitur, quam centenæ libræ ejus, quæ ex China affertur, quæ secundum genus est, eaque in Europam deferatur, in partes orbiculares coacta, quinque digitorum diametri, & quia ita coacta est, compositum medicamentum videtur, non simplex. Quâ  
autem

autem ratione compositum sit, addemus, quantum ex authoribus colligere possumus. Dicunt panes illos orbiculares, qui ex China advehuntur compositos esse, quoniam Caphura de Burneo in Chinceum deferatur, ideo ejus incolis expectita, ut eam alteri viliori permisceant. Huic opinioni suffragantur Baneanes de Cambaya, qui pro arcano dicunt, deficiente Caphurâ de Burneo solere se exiguum quantitatem cum multâ Chinesi commiscere, eamq; falsò de Burneo nuncupare. Addunt idem isti Baneanes, Chinesem Caphuram compositum esse medicamentum, quod temporis lapsu evaporat

porat & corrumpitur, Caphura vero de Burneo minimè. Quicquid fit, ex duobus Caphuram conflare generibus, necesse est.

Caphuræ quædam grana sunt nobiliora, quædam ignobiliora: In ea vero discernenda Baneanes & Arabes, qui eam emunt, adeo sunt experti, ut Camphoram Camphorâ permixtam adeò dextrè distinguere & justum imponere pretium possint, ut vix quis eos fallere queat.

Scaliger ait, præstantissima ea est Camphora, quæ sole albescit, minus bona quæ ab igne albedinem accipit, vel alio mangonio depuratur. Stillatitia

titia diutius suas servat vires & defæcator est.

Sed salvâ tot doctissimorum medicorum authoritate nos ex ore clarissimi Hermanni Lugdun. Batav. olim Botanices Professoris dignissimi (τῆς μανθ. γλῶσσης) cum me hic Londini visitaret habemus, Camphoram esse genuinum sal volatile oleosum, è cognomine arbore prolicium, cui frustulatim conciso aquæ s. q. affunditur & destillatione una cum aqua prolicitur oleum cui innatat Camphora, quæ per tritorium separata, postmodum per sublimationem depuratur. Cui substantia analoga, imo ipsi planè æmula hic etiam elici potest

potest ex plantis aromaticis,  
veluti Thymo, Serpillo, Origa-  
no, &c. imo ex radice Cinna-  
momi destillatam monstravit  
idem Hermannus.

Bonæ Camphoræ (ex Mœ-  
bio) notæ sunt hæ sequentes:

1. Color candicans sine macu-  
lis.
  2. Friabilitas.
  3. Odoris  
fragrantia.
  4. Inflammatio-  
nis facilitas, quæ etiam in aqua  
continuare solet.
  5. Totius  
sublimatio ut nihil remaneat.
  6. Bona Camphora facile ab  
aëre consumitur & evanescit  
instar salis cujusdam volatilis.
- Paracels. lib. 4. tr. 1. pag. 53. dicit  
Camphoram in loco immundo  
positam avolare instar nitri in  
igne. Adulteratur Campho-  
ra,

ra, ait Scaliger, sevo, mastiche  
& aquâ vitæ. Sed jam ad ejus  
vires examinandas me propero.

Camphora dolores mulcet :

*℞ Spirit. vin. rectificat. ℥iv. Camphoræ per sublimat. depurat. ℥ij. pro Fotu in Gangræna, ambust. &c.*

Spiritu hoc Camphorato Jacobus Wasse Senior, Chirurgus inter Londinenses felicissimus hoc Spiritu per multos retro annos (me teste) summo cum successu fuit usus.

*℞ Gumm. Ammoniac. ℥ij. sulphur. ℥ss. Camphor. per sublimationem depurat. ℥ij. Euphorb. ℥i. ol. petræ q. s. M. F. Emplastrum nobiliss. in meliceribus, Atheromate, Steatomate.*

*℞ aq.*

℞ aq. Sambuc. ℥i. Tartar. alb. calcinat. ℥ij. Camphor. ut supra depurat. ℥iv. vin. alb. ℥v. F. destillatio : in Gutta rosacea præmissis præmittendis, excellit.

℞ Aq. rosar. plantag. folior. vitium an. ℥ij. acet. opt. ℥iii. Camphor. sublim. depurat. ℥ij. M. in carbunculis faciei rubicundis,

℞ Sem. Sinapios ℥iij. sulphur. trit. ℥ss. Camphor. subl. depur. ℥ij. unguent. agrippæ ℥ij. M. in Scirrho.

℞ flor. Sambuc. melilot. an. M. i. medul. panis opt. ℥iij. croc. ℥i. Camphor. S. D. ℥ss. coq. in cerevis. (alâ dict.) q. s. add. farin. fœnugræc. alb. an. ℥i. M. F. Cataplasma in mammarum tumoribus & inflammationibus.

℞ ol. laurin. spir. vin. ceruss. an. ℥i. sal. armon. ℥ss. Camphor. S. D. ℥ij. M. F. Unguentum in scrophulis, strumis, &c.

℞ Ce-

℞ *Ceruss.* ℥i℥. *plumb. ust.* ℥iij. *antimon.*  
*crud.* ℥ij. *pompholyg.* ℥iv. *Camphor.*  
*S. D. sacchar. Saturn. an.* ℥i. *ol. ni-*  
*cotian.* ℥i. *succ. nicotian. per infus.*  
*fact. q. s. M. F.* Linimentum in  
 Cancro.

Hisce medicamentis aliquan-  
 do additur arsenic. auripig-  
 ment. virid. æris, calx viv. opi-  
 um, Theriac. &c. pro re nata.

℞ *Sachar. Saturn.* ℥℥. *Camphor. S. D.*  
*℥℥. ol. lini.* ℥ij. *ol. ovor.* ℥i. *F. Li-*  
*tus in ambustis.*

℞ *Gumm. Carann.* ℥ij. *Camphor. S. D.*  
*℥℥. croc.* ℥i. *ol. Therib.* ℥ij. *M. F.*  
 Emplastrum in tumidis puerpera-  
 rum pedibus post partum.

℞ *Mucilag. sem. psyllii cydonior. aq.*  
*rosar. plantag. an.* ℥i. *album ovor.*  
*concuss.* N°. ij. *Camphor. S. D. gr.*  
*vi.* Mista oculis instillantur &  
 linteis

lintheis mund. impon. in oculo-  
rum ægreditudinibus.

℞ aq. *Chelidon. Maj.* ℥ij. *spir. sal. ar-*  
*mon.* ℥i. *vit. antimon.* gr. iv. *Cam-*  
*phor. S. D.* gr. vi. *M. F.* Collyrium  
in Cataract. incipient.

℞ *Sevi bovin. veter. Theriac. Venet.*  
*an.* ℥ss. *camphor. S. D. spirit. vin.*  
*solut.* ℥ss. *M. F.* Unguentum in  
membris resolutis & contract.

Aurium, oculorum, nari-  
um, dentium, oris & faucium  
affectionibus prodest ipsa Cam-  
phora. Hartmannus, Wecke-  
rus, Fernelius egregias in his  
affectibus formulas recitant  
Camphoratas. Emplastrum de  
Sperniola Camphoratum dolo-  
res dorsi inveteratos dissipat, &  
ei robur conciliat, Vid. Quer-  
cetan. in consil. de Nephritid.

F

Cam-

Camphora ut extùs opitulatur, sic & intùs Febribus remedio est Camphora: Somnum conciliat Camphora: Summum est alexipharmacum, & venenum expugnandi vim habet: in peste validissimum potentissimùmque est remedium, summa enim partium tenuitate prædita est Camphora, unde instar Spiritus Vini rectificatissimi spontè evanescit ac in auras avolat, nisi probè recondatur. Dolores Capitis tollit.

*Rx amygd. dulc. excortic. N°. iv. Sacchar. canti alb. ʒi. camphor. ʒß. M. F.* In mortario pulvis, pro medici intentione cum aliis ingredientibus miscend. Heurnius Moschum add. & ambram.

Quer-

Quercetanus essentiam Camphoræ habet, lib. de medicamento. spagyric. pag. 217.

℞ spir. vin. rectific. ℥x. Theriac. Andromach. ℥v. myrrh. rubr. ℥iiss. croc. or. ℥ss. Camphor. ℥ii. destillentur ut est artis.

Compositum fit, totum corpus penetrans, obstructions referans, sanguinis circulationem promovens, spiritus summoperè recreans, laudabilésque effectus post se relinquens.

Joannes Crato libr. de peste ait: Plurimum potest Camphora cum pauca Theriaca vel Mithridat.

Idem in epist. 103. apud Scolzium Camphoram omnia

composita in peste excellere affirmat.

Sennertus electuarium Cratonis camphoratum efficax dicit, quod fit modo seq.

℞ Scord. ℥iij. dictamn. alb. zedoar.  
gentian. angelic. caryophyllat. an.  
℥i. croc. Camphor. S. D. ℥ss. pulve-  
risentur asperganturque aq. Card.  
B. in qua dissolutæ fuerint Theriac.  
℥ij. & cum s. q. syrup. de succo. Card.  
B. F. Electuarium.

Fernelius lib. 5. meth. cap.  
21. Camphoram malignos va-  
pores præsertim calidos extin-  
guere docet.

Andreas Libavius, pag. 3.  
singularium lib. 5. cap. 1. ex Aë-  
tio ut succinum, ita & Cam-  
phoram in peste profliganda,  
putre-

*putredine* ac venenis arcendis plurimum valere, testatur.

Fabritius Hildanus lib. de Gangr. & Sphacelo: Camphora non immeritò inter fortissima alexiteria à viris doctis numeratur.

Joannes Poppius lib. de usu med. chymic. Camphoram dissolve in aceto, hujusque cochlear unum fume, exstinguetur inde ardor seu æstus malignus à pestis veneno causatus.

Confectio liberans, ut & pulvis rubeus Cæsaris contra pestem in Pharmac. August. Camphoram habent admistam, & ideo in peste & febribus malignis commendatur.

Jordanus, Divinum est in morbis, ait. Mesue suos Trochiscos habet de Camphora. Nicolaus Myrepsus species diatri-  
on. Santalon. Camphorâ impre-  
gnatas ad febres biliosas, visce-  
rum inflammationem & om-  
nem intemperiem calidam po-  
steritati reliquit, sect. 1. pag.  
223.

Sennertus in paroxismo epi-  
leptico Camphoram adhibet.

Paracelsus & Riverius Cam-  
phorâ utuntur in mania.

Hermannus Camphoram  
laudat in vertigine.

Fernelius lib. 5. Therapeutic.  
cap. 17. in Cephalalgia Cam-  
phoram præscribit.

Sennertus & Mindeverus  
idem faciunt. Kesle-

Kesslerus in Spasmo Camphoram extollit.

Tristibus, melancholicis & memoriâ laborantibus Pharmac. August. Camphoræ prædicat excellentiam.

Camphora cor roborat, spiritus recreando ac lætificando, sunt verba Avicennæ.

Camphora luce quâdam spiritus rigat, ita ut si cyathus aquæ in qua Camphora nucis avellanæ magnitudine accensa conflagravit, exhibeatur syncope vel animi deliquio laborantibus, statim liberentur;

Neander Bremanus in syntagm. de medicinæ laude & origine, pag. 360. Rondeletius in spu- to cruento ab acri materia ex-

citato ex cyatho aquæ de cisterna cum modico aceto propinabat Camphoram.

*Rx. Corall. rubr. margarit. præparat. an. ʒss. gumm. Arabic. Tragacanth. Camphoræ an. ʒss. M. F. pulvis. Dosis ʒi. in decoct. vel aq. burs. pastor. vel Tormentil.*

Trochisc. Aliptæ Moschatæ Nicolai in Pharmac. Augustan. Camphoram recipiunt, ac conferunt infantibus ac puerulis Asthmaticis, ac pectoris angustia, vel anhelitus difficultate pressis. Ad icterum valent Spec. diarrhodon Abbatis Camphorâ permixtæ.

In hydrope præmissis præmittendis multum tribuitur  
Cam-

Camphoræ vel ejus oleo.

In scorbuto Camphora, vel oleum medicamentis antiscorbuticis mixtum suas ostendit vires.

Quercetanus in Cardialgia suum laudat cardiacum minus, quod Camphoram habet adjunctam.

Lumbricos necat & expellit ol. Camphoræ cum gutt. paucioribus spir. nitr. cum aq. tanacet. mixt. feliciori cum successu; hi hospites diversorio suo ejiciuntur. *Khunrath.*

Hæc de Camphoræ virtutibus fusiùs dicere voluimus: jam vero quid quæso Camphora in Renum, vesicæ, uteri, partiumque genitalium affectibus efficit?

efficit? hæc sanè peculiariter  
nos spectant!

Quercitanus in consilio de  
Nephritide circa finem olei  
Camphoræ meminit, eique  
vim calculum pellendi inesse  
affirmat.

Libavius tom. 1. syntagm.  
Arcanor. Alchym. lib. 8. cap.  
19. & Kessler. centur. 4. opera-  
tion. chymic. Camphoram in  
earum partium affectibus ex-  
tollunt.

In vulneribus renum oleum  
Camphoræ opem ferre, affir-  
mat.

In ardore urinæ oleum Cam-  
phoræ locum habere, & olei  
amygd. dulc. admixtione effi-  
cacius esse experientiâ sæpius  
comperimus. In

In dysuria, vesicæ inflammatione oleum Camphoræ suis non destituitur viribus.  
*Khunrath.*

In uteri doloribus, imo & ejusdem procidentia valet Camphora, ut testis est Kesslerus.

In nimio mensium fluxu ol. Camphoræ convenientissimum est remedium. *Khunrath.*

Philonium Persicum Camphoratum, quod in nostris Pharmacopoliis habetur, ad omnes uteri hæmorrhagias egregiam virtutem habere testantur Augustani.

Schroderus essentiam Camphoræ uterinam habet. Camphora ad albas uteri fluxiones efficax. Fernel. lib. 6. Therapeutic. cap. 1. Ole-

Oleum Camphoræ sublimatione factum inveteratam Gonorrhœam sanat, in Satyriasi & priapismo idem oleum remedio est. *Khumrath.*

Ex his Camphoram alexipharmacâ & effervescentias præternaturales tollente virtute præditam esse, abundè liquet, eamque idcirco oleo quâ gaudet penetranti aptissimam fore acutis & septicis Cantharidum particulis obtundendis, & acrioribus illius diuretici salibus benigno suo sulphure temperandis cuius Camphoræ anatomiam consulenti judicandum erit.

*Obfer-*

*Observatio.*

**A** Nno 1691, Octob. 25.  
 Quinque . adolescentes  
 œnopolium adeunt, ubi vino  
 exhilarati, Cantharidum quas  
 penes sese habebant contusas,  
 effectus tentare cupiunt. Se-  
 rius ergo accedenti cuidam so-  
 cio hujus propositi ignaro post  
 aliquot pocula exhausta unum  
 cum larga dosi Cantharidum  
 miscent : paucis horis elapsis  
 pruritum sentit & punctiones,  
 ardorem tandem summum at-  
 que Stranguriam patitur into-  
 lerabilem, circa vesperam Chi-  
 rurgus vocatur D. Fosschet,  
 sed clam sibi ægrotantis focii  
 res

res gestas servant, ille sympto-  
mata examinat, & eâ ipsâ ho-  
râ phlebotomiam instituit, &  
emulsiões præscribit, at his  
nihil levaminis æger percipiens,  
continuò clamoribus compo-  
tatores accusat, tandem faten-  
tur focii quid ipsi potandum  
dederint; injectiones ergo præ-  
parat Chirurgus ex emollien-  
tibus & anodinis; opiata pro-  
pinat at omnia frustra.

Diebus quinque elapsis, mi-  
hi forte fortuna obviam veni-  
ens Chirurgus historiam nar-  
rat, & consilium meum rogat.  
Lubenter dedi, duos enim Cam-  
phoræ scrupulos in duplicem  
Bolum formandos præscripsi,  
unum horum quamprimum  
capiat,

capiat, alterum sex horis elap-  
 sis: prima dosis quam maxi-  
 mē dolores sublevat, ultima  
 planē tollit. Ægroti hujus  
 herus erat D. Bennet, vir pro-  
 bus & benē notus (in *Wapping*)  
 qui unde tam subitaneum ac-  
 cepisset remedium rogat Chi-  
 rurgum; hic rem omnem ape-  
 rit; accersor, gratias agit sum-  
 mas D. Bennet, & me hono-  
 rario satis amplo dimittit: Sed  
 ad rem tot ergo argumentis  
 fretus Camphoram Canthari-  
 dibus junxi, spe fore ut hâc me-  
 thodo ex medicamento antea  
 quamvis legitimo cautē tamen  
 & parvâ dosi usurpato, utilissi-  
 mum remedium conficerem;  
 nec me mea fefellit fides, mira-  
 biles

biles enim inde successus vidi,  
 ut autem tam vis morbi quam  
 medicamenti efficacia magis  
 innotescat, ad historias pergo,  
 in quarum prima inflammati-  
 onum harum & ulcerum sym-  
 ptomata & causas cæteris dili-  
 gentius examinare proposui.

### *Historia Prima.*

**A** Nno 1676, occurrit mihi  
 foemina ( A. R. ) annos  
 ultra quadraginta nata, gulæ de-  
 dita, quæ per annos aliquot do-  
 lorem gravativum & subinde  
 punctorium in lumborum re-  
 gione versus pubem & inguina  
 delatum præsenferat, brevi post  
 mictio: cruenta & purulenta  
 secuta

secuta est. Inde vero ab aliquot septimanis, prædictis malis sese conjunxerat urinæ ardor & stillicidium, inter mingendum dolor punctorius circa pubem atrocissimus & tantus, ut cum ferendo verbisve depingendo par non esset: lotium subclarum cum sedimento purulento & foetido excernebatur: fæces involuntariè effluebant, pulsus erat celerior & frequentior naturali, respiratio aucta fuit: Ægra multum sitiebat, cibos omnes averfabatur, diu noctuque cum corporis jactatione & vigiliis inordinatè adinterrogata respondebat, facies ferox truculenta & oculi fixi adstantium animos commiseratione

tione capiebant. Ingrave-  
 scente morbo (plurimis medi-  
 camentis frustra adhibitis )  
 ægra intra triduum defuncta  
 est, ope Chirurgorum *W. N.*  
 & *A. P.* dissectum fuit corpus.  
 Vesicam urinariam pure foeti-  
 diffimo lento plenam, ejus tuni-  
 cam interiorem crassam admo-  
 dum & ulcere erosam inveni-  
 mus. Ureteres solito carnosio-  
 res pure & calculis infarti  
 admodum duros sentieban-  
 tur. Dexter equidem calcu-  
 los quatuor albidiores, materiâ  
 subsalsâ & foetidâ involutos,  
 sinister nigricantes magis, sed  
 duriores minimos in se conti-  
 nebat: Renes intus exesi atque  
 corrupti flaccidi, sordido pure  
 refarti

refarti, imò turgidi erant. Re-  
 nis dextri pelvi calculus acutus,  
 durus, angulosus, aliquā sui  
 parte parenchymati infixus ob-  
 servabatur. Sinistro autem in  
 rene pus cruentum, plurimiq;  
 exigui calculi, figurā prædictis  
 illis in hujus lateris uretere hæ-  
 rentibus affimiles, contenti  
 erant.

Fœmina hæc gulæ erat de-  
 dita :

Ubi cibus præter naturam  
 copiosior ingressus fuerit, is  
 morbum facit. Nec satietas,  
 nec fames, nec aliud quicquam  
 bonum est, quod naturæ mo-  
 dum excedit.

Intemperantia virtiginem,  
 ingenii tarditatem, torporem,

somnolentiam, inertiam, caco-  
chymiam, hydropem, imò  
mille morbos producit.

Ægræ nostræ mala præpo-  
stero victus genere acquisita  
referam: ex historia colligimus  
vesicam urinariam primariò,  
ureteres cum renibus, quæ  
partium mandantium locum  
sibi vendicant; ipsumque au-  
tem cor, totamque massam  
sanguineam cum spiritibus ani-  
malibus ex ea oriundis per con-  
sensum fuisse affectam. Urina  
cum pure mixta guttatim ex-  
iens, vesicæ actionem depra-  
vatam fuisse, indicabat.

Dolor gravativus in lumbis  
versus pubem exporrectus, re-  
num, ureterum & vesicæ fi-  
tum

tum manifestabat. Ipsa namque vesica in infimi ventris pelvi collocata, vaginæ, uteri & ossibus pubis annexa, tribus foraminibus pervia est, obscurioribus duobus juxta ejus collum per quæ ab ureteribus supra musculos insignes psoas femur flectentes progressis, serum promanat, & majore uno quo per brevem latamque uteri collo antè insculptam cervicem urina exitum invenit.

Renes diaphragmati, lumbis, intestino colo & cæco (mediante peritonæo) connectuntur.

Pulsus præter naturam frequentior de massæ sanguinæ fervore testatur.

Facies ferox, oculi fixi, inordinata ad interrogata responsio, vigiliæ & corporis jactatio spirituum animalium conturbationem atque delirium arguunt.

Hæc autem partium affectarum, tum continentium tum contentarum junctim cum cæteris in historia traditis signis morbum ipsum determinant, qui ratione à symptomate urgentiore desumpta **VESICÆ INFLAMMATIO CUM ULCERE** audit.

Si quis sanguinem & pus mingat, & squammas, & odor urinæ gravis adsit, ei vesica exulcerata est, sunt verba Hippocratis sect. 4. Aphorism. 81. Ac.

Accedit quod apertâ vesicâ  
pus copiosum, foetidum, len-  
tum & acre, ejusque vesicæ  
pars interna rubicunda valdè  
& nigricans, pure copioso un-  
dique obfessa in conspectum  
prodierit.

Vesica urinaria, membra-  
narum contextu constans, fi-  
bris musculosis intertexta, per  
quas vasa sanguinea transcur-  
runt unâ cum glandulis quam  
plurimis exiguis, inflammati-  
onis & ulceris fuit subjectum.  
Vid. Galen. lib. de Tumoribus,  
cap. 2.

Hujus inflammationis causa  
continens fuit sanguis copiosus  
ad vesicam urinariam proflu-  
ens, extra sua vasa delatus atq;  
stagnans.

Ulcus ipsum à sale acuto & acido proximè oritur, cujus aculei quasi cuneoli internam vesicæ membranam mucosam corrodebant, atq; penetrabant, & sanguini per inflammationem extra vascula hærenti sese injungebant, sicque puris foetidi generationem promovebant.

Nullum ulcus absq; corrosiva causa consistere potest. Corrosio autem vel acrimonia extra sales nulla est: experientiâ enim constat, sanguinem acidi ope in pus mutari, gangrænam verò à sale acri lixivioso ortum habere: quare si quis in cancro salem corrosivum non agnoscit, eum parum perspicacem esse,

esse, ait Sennertus institut. lib.2.  
cap. 8. p. m. 244.

Dolor lancinans & pungens  
adfuit, qui dolores ubi adfunt  
(quibus ægri se ceu cultro se-  
carentur vel pungerentur affi-  
ci dicunt) aliis permixta salia  
acida illic peccare evincunt,  
dum enim invicem permiscen-  
tur diversa salia in se mutuò  
agunt etiam ac furere incipiunt,  
ex quo furore ebullitio, & ex  
hac dolor ille punctorius oritur.  
Hinc quoque ulcerum inæqua-  
litate deducit sublimis ingenii  
Paracelsus Chirurg. magn. part.  
3. lib. 4. pag. 197.

Omne pus plus minus salis  
acidi in se continet, cujus ta-  
men particulæ porosam linguæ  
nostræ

nostræ membranam valdè villosam, eximio & ob papillas multas voluptuario gustandi sensu præditam subtilissimis suis aculeis certo modo figuratis ferire nequeunt, antequam à reliquo puris corpore separentur : prius enim talis est temperies, quæ figuras earum obtundat, atque particulas latè diffundat, non secus ac variis succis invicem permixtis, de certa aliqua saporis specie pronunciare impossibile est, at ubi ad separationem res inclinare coeperit, quo fini propior, eo facilior dijudicatio apparebit.

Sic vinum dulcissimum acerrimum tartarum generat, vel spiritibus avolantibus in acetum

tum (cujus sal fixum nihil aliud est quam tartarus crudus) degenerat.

Spiritus eodem modo corporis humores temperantes, calore suo fovente motuque non solum sanguinem à corruptione vindicant, sed & solidas omnes corporis partes, ipsamque adeo vitam, quamdiu superstites sunt, conservant.

Cum vero spiritus è sanguine morbidæ nostræ foeminae per inflammationem stagnante avolârint, pus in ea generari cœpit, sanguini & loco affecto analogum.

Postquam enim pus in vesica hærens, suâ acrimoniâ vasa erodit, sanguis, qui alias à  
vitali

vitali effervescentia in corde  
 facta motu circulari, subsistens,  
 determinato hoc sibi debito  
 motu, cujus beneficio sanguis  
 subinde ad cor atque inde ad  
 arterias relapsus vitalitatem su-  
 am redintegrait, privatus, in  
 semetipsum egit, obvias sibi  
 particulas assidue loco expellen-  
 do, donec eas inter quasdam  
 alias ita collocarit; ut ordina-  
 rius motus non amplius inter-  
 turbaretur, vel in similem mo-  
 tum coegerit, ut sic una quasi  
 massa homogenea efformaretur;  
 reliquas vero particulas,  
 quas non potuit pariter move-  
 re, in eas impingendo detur-  
 bavit ex medio, modo sursum,  
 modo deorsum, prout aliæ  
 causæ

causæ ad hunc vel illum motum concurrerunt: non enim fuit possibile ut heterogeneæ particulæ in eundem motum conspirarent: hujus rei vulgare exemplum est in præparatione butyri, ubi solâ agitatione butyrum à sero lactis ideo separatur, quia butyri particulæ minus aptæ sunt ad motum quam feri, ut hoc ex Cartesio demonstravimus in libello, Anno 1687, à nobis conscripto & bis edito: Thomæ Witherley Equitis Aurati, tunc temporis Coll. Med. Lond. Præsidis & Censorum ejusdem Collegii propriis manibus signato & approbato.

San.

Sanguinem humanum cumque inflammatum & puris exinde generationem, ipsamque particularum in sanguine ad motum aptitudinem vel ineptitudinem rimantur Paracelsiſtæ, qui magistro probationis igne adhibito Balsamum vitale sanguinem in digestionē aliquot mensium spatio factâ balneo Mariæ impositum destillantes spiritum summè volatilem eliciunt, cujus particulæ expansæ & avolare nitentes cæteras omnes circumpositas agitant, atque in effervescentiæ motu continuo detinent: hi spiritus ad oculum limpidi, nares urinoso foetore, linguam acri sapore ex accidente tamen petentes

petentes, massæ sanguineæ jun-  
cti, exactæ mixtionis sunt tuto-  
res, absentes vel inordinate  
moti œconomix destructores.

Sulphur educunt copio-  
sum, seu oleum nigricans, à  
cujus dissolutione ( ut refert  
clariss. D. Willis ) sanguinis  
tinctura rubicunda oritur,  
quod si nimium igne exalte-  
tur maximo sanguinem fervo-  
re exagitat, si à sulphure ami-  
ca forte uniti spiritus avolâ-  
rint, foetor pessimus exsurgit.

Sal volatile parant à spiritu  
puro diversum quantitate  
magnâ, quod inordinatos par-  
ticularum motus refroenat, pu-  
tredinem arcet, propterea nul-  
la corpora plus salis volati-  
lis

lis indigebant ipsorum animalium corporibus, quorum sulphur à sale volatili vinciri oportuit.

Terra, è sanguine humano elicita, copiosa est, levis, friabilis, bonam sanguinis consistentiam largitur, vix movetur.

Aquam tandem chymici reperiunt multam, limpidam & insipidam, phlegmatis nomine notam, à qua urinæ & sudores proveniunt.

Diversæ hæ partes ad fermentandum sive effervesendum aptæ, in sanguine extravasato laxitatem & disjunctionem sibi debitam amittunt, quia non amplius motu circulari

lari agitantur, vinculis suis solutæ confestim erumpunt, & ob copiam Spiritûs, sulphuris & salis volatilis cum foetore in pus abeunt.

Plantæ ex minimo semine altè assurgunt & latè explicantur ob copiosum volatilem Spiritum, ut sit præ aliis in Acere montano candido & fraxino excelsiore, quarum Arborum semina affabrè dissecta liquidò probant, semen saltem in plerisque plantis nihil aliud esse quam foliola, quæ primò Spiritus hujus ope emergendo pullulant, aptè à natura complicata aut convoluta unà cum radicis germine congrua tenellæ plantæ alimenti por-  
H tione

tione atque idoneo integumento.

Nequaquam adeo exiguum semen in proceram arborem explicari, aut succus nutritius eoque usque propelli potest excepto Spiritu volatili, quem Chymici quamvis impurum ignis ope sæpius expellunt rei alterius siue salis volatilis siue olei beneficio.

Parum plantis inest salis volatilis, at aliquid tamen, etenim nulla excellentèr Sapida planta invenitur, ex qua quicquam hujus elici non possit, id quod maxima pars plantarum aromaticarum & scorbuticarum in aquis & paludibus crescentium testatur.

Mi-

Mineralia, & in specie Terræ atque metalla plus fixi salis continent, & spirituum acidorum ( quorum ope & ipsa metalla solvuntur ) quam salis volatilis; hinc non nisi magno Vulcani molimine tolluntur, & demum ultimò ascendunt; quam motus diversitatem in maturationibus, generationibus, effervescentiis, fermentationibus, putredinibus & corruptionibus à Sole atque Astrorum situ diverso, & in talia corpora multiplici efficacità si quis deducat, actum non acturum talem judicem, qui nōrim.

Primò, quamvis in quibusdam regionibus tempore cani-

culæ æstus non semper sit maximus, imo non rarò minor, quam aliis æstatis temporibus, tamen vina tunc mutari, carnes putrescere similésque mutationes alias in corporibus fieri. Sennert. institution. lib. 5. part. 2. Sect. 1. cap. 5.

Secundò, morbos cerebri secundum Lunæ phases non parum mutari, nunc augeri, nunc minui: proinde in quibusdam regionibus Matres novilunii tempore Infantes suos adversus epilepsiam, pavores in somno, & alia mala medicamentis prohibis muniunt.

Tertio, ex sapore austero fieri dulcem ab Astris oriundum à particularum fixitate ad volatilitatem

latilitatem Spirituum versus alteriorem mobilitatis gradum.

Hâc itaque sanguinis ( eâ quâ potuimus brevitâte ) Chymicâ resolutione traditâ, eum in sua principia disjungi certò determinare non possumus, quia materia in divisione non semper resolvitur in particulas, æquales iis, ex quibus componebatur, sed modo in minores, crassiores, aut mediocres. Cartesius Princip. Philosoph. lib. 3. articul. 99.

Nam ignis suâ violentiâ, aut quodcunque aliud ejus vires in resolutione supplens per motum agit irregularem, quo impossibile est omnes particulas semper secundum illas superfi-

cies separari posse, secundum  
 quas junctæ fuerant, nam ali-  
 quando tam firma est unius  
 particulæ cum alia conjunctio  
 ut facilius alibi quam in jun-  
 ctura dividatur, sub qua con-  
 sideratione & ipsa destillata vi-  
 res easdem non habent, qui-  
 bus simplicia eorum prædita  
 erant, eò quod vires omnium  
 in motu irregulari violento  
 non ascendant, aut etiam avo-  
 lent.

Hisce præmissis, quo reli-  
 qua melius intelligi possint ad  
 ægram revertamur. Ex pulsu  
 p.n. celeriore & frequentiore,  
 ex dolore gravativo & pungen-  
 te à lumbis ad pubem protra-  
 cto, ex mictione subsequen-  
 tum

tum purulentâ tum sanguineâ:  
 & quod eventus docuit ex pu-  
 re foetido in vesica, ureteribus  
 & renibus collecto, itemque  
 calculis è renum parenchyma-  
 te & ureteribus extractis cau-  
 sas inflammationis cum ulcere  
 antecedentes statuimus, quæ in  
 specie tres sunt: Febris, ulcus,  
 & calculus.

Febre sanguis in partem af-  
 fectam & dolentem vesicam,  
 nempe urinariam, per minimas  
 arteriolas ab hypogastricis ra-  
 mis oriundas, motus & conci-  
 tatus, extravasari potuit, non-  
 dum tamen in spatia vacua ef-  
 fusus est, quo solo continen-  
 tem inflammationis causam  
 ab antecedente distinguimus,

utramque sanguini diverso modo adscribimus; qui sanguis extra vasa stagnat, continentem, qui verò intra vasa cum impetu ad partem movetur, antecedentem causam habemus. Quomodo autem inflammatio orta sit à febre proponit Galenus de inæq. intemper. lib. 6. artic. 2. pag. 267.

Febri huic ansam dederunt *primò* acres particulæ ex pure in vesica hærente, & venulas corrodente, sanguini refluenti cordique communicatæ (& ut p. n. frequentior ventriculorum contractio, sicque pulsus frequens & celer sequutus fuerit) ipsum cordis Parenchyma vellicant & irritantes. *Secundò*

Spi-

Spiritus itidem vitalis, ob dolorem & continuitatis solutionem æstuans, & velociter motus fervorem intensum sanguini conciliavit, eumque quaquaversum per arterias propellendo, febrim excitavit.

Pus verò quod per ureteres in vesicam procubuit in renibus generatum erat ab erosione per acredinem factâ, non tantum vasorum, quod ex mictione cruenta antehac habita, sed etiam caruncularum papillarium, quod ex puris redditione patet: Carunculæ autem papillares dictæ, nihil aliud sunt, quam interius renum parenchyma, quod crassius, fibrosius & durius existit, quam superior

perior & exterior illorum sub-  
 stantia, quæ eousque exesa fu-  
 erat ut nihil præter membra-  
 nam renes cingentem reliquum  
 fuerit, id quod mirum non est,  
 cum continuò unà cum sero  
 sanguinis falso per minutos ca-  
 runcularum poros ( in bobus  
 patulos ) propulso, totius cor-  
 poris excrementitia humiditas  
 & colluvies velut in cisterna  
 colligatur, atque adeo magis  
 acrimonia puris intendatur.  
 Malum hoc frequens est in ho-  
 minibus & brutis, imprimis  
 canibus, quorum renes persæ-  
 pe adeo scatent sanie & tur-  
 gent, ut etiam leviter tactâ  
 membranâ exteriore, pus fœ-  
 tidissimum, flavum & subru-  
 entum effundatur. La-

Lacerati & erosi fuerunt re-  
nes à calculo inde coërcito,  
aspero, anguloso, carnem &  
vasa renum atterente & gra-  
vissimos dolores excitante.

Concretionis calculi causas  
in ipso hujus tractatuli exordio  
demonstravimus, quapropter  
his relictis solummodo observa-  
bimus ea, quæ ab erronea diæ-  
ta mulier hæc miserrima passa  
fuit.

Ab acidiori & salino terre-  
stri sanguine, cujus sero in re-  
nibus separato calculi fuerunt  
producti pro ratione materiæ  
appellentis variè figurati, angu-  
losi, duri, scabri, renes fuerunt  
erosi, unde pus acre unà cum  
aliquibus minoribus calculis in  
uretere

uretere subsistentibus ad vesicam urinariam derivatum fuit, à quo interior membrana exesa atque inflammatio cum ulcere suborta est. Dico inflammatio sive tumor in vesicæ urinariæ carnosæ partibus ab extravasato sanguine ortus gravissima inferens symptomata.

Ulcus est solutio continui à vesicæ partium erosione partim ex pure acri è renibus calculo affectis descendente, partim ex prævia inflammatione producta.

Ex his præmissis ( in prima hac historia enarranda sumus aliquo modo longiores, in reliquis brevitati studebimus, prior

prior enim omnes reliquas exponit ) nostrum erit superius nominata symptomata deducere.

Delirium ergo originem suam habuit à febre acutâ atque dolore atroci; febris suboriebatur ob sanguinis fervorem, qui sanguis calidior & acrior per vias ordinarias vasa, Viz. grandia carotides & cervicales arterias ad cerebrum delatus, spiritus nimium sublimavit, exagitavit, & inordinate movit, hinc phantasmata circa quæ ratio occupatur vitiata intellectui obvenerunt, atque iudicium obfuscârunt : quandoquidem febricitantes non aliter ac dormientes decipiantur, cum  
 tanta

tanta fit spirituum agitatio, ut non sinat eos discernere, num, quæ imaginantur se audire vel videre, vera sint necne.

Dolor atrocissimus circa pubem delirium induxit, aufereudo iudicium, omnis enim passio ingens iudicium tollit, siue primario in ipso cerebro radices egerit, siue aliunde ea ad cerebrum devenerit, hoc febricitantes ostendunt, qui in augmento paroxysmi delirant, eoque transacto sedantur, nec credunt visis ut ante.

Mulier hæc præ labore vesicæ non potuit considerare proprium delirium, & mala quæ Menti inerant suæ, quia  
in

in omni dolore plurimi spiritus ad partem affectam confugiunt, quoniam deinde subtilissima pars sanguinis, spiritus, cujus beneficio imaginabatur, discursum formabat, sentiebat, & reminiscebatur, imagines varias in cerebro suscepit, ita ut videatur videre quæ non videbat, & non videre quæ videbat.

Ab imaginibus detentus hic Spiritus variè motus, vigilias & corporis jactationes creavit.

Ab anxietate & à doloribus gravissimis mens validè consternebatur.

Dolor gravissimus circa pubem, & inter mingendum acutissimus processit à sale illo puris

puris acerrimo ( ad exploran-  
dam vesicam, Catheterem im-  
missi politum, splendidum, ar-  
genteum, qui exploratione fi-  
nitâ extractus, prodiit rudis &  
nigro colore tinctus, à sale il-  
lo puris acri corrosivo ita mu-  
tatus ac si in aquam fortem  
immissus fuisset ) figurâ suâ  
cum hoc sal partes vesicæ  
membranosas lancinabat, at-  
que ejus orificium ut & urete-  
rum ductus adeo obstruebat,  
ut non nisi intensâ vi & gut-  
tatim urina excerni potuerit,  
nulla verò per uteres regurgi-  
tare, eo quod inserantur inter  
tunicarum vesicæ duplicatu-  
ram, orificio è vesica sursum  
impervio.

Sitis

Sitis ingens æstum sanguinis sequebatur, & salivam paucam arguebat. Absumebatur saliva à vigiliis continuis, ab alvi fluxu copioso. Alvi fluxus causam sui agnovit non tantum humorem acrem, intestina ad excretionem fæcum irritantem, sed præcipuè delirium ; quo retinere excrementa nescivit, imò præ debilitate & virium defectu nequivit.

Quibus præmissis quilibet facile judicabit, inflammationem vesicæ morbum esse periculosissimum, si præsertim jungatur cum ulcere, cui ubi se in corpore senili & febris continua, & delirium, & fluxus

alvi associarint, inducias non patitur, sed læthalis existit.

Cadaver foemineum crudelioribus hisce symptomatibus extinctum, biennio vix elapso, viro perito, dextro, & acuto, ( N. Geekie, Chyrurgo in *Salisbury-Court* habitanti ) disseccare commissum fuit : si mei sum memor, dissectio in mea præsentia artificiosè instituta fuit in *Shooe-lane* : Sed ultra.

### *Historia Secunda.*

**A** Nno 1679, M. A. in *Rotherhith* propè locum dictum *Globe-stairs* triginta annorum, incidit in omnimodam urinæ suppressionem, summo cum

cum dolore, tensione, & tumore in pube, renum & lumborum dolores antea senserat, cum urina mucum solebat excernere graveolentum, summo cum foetore, laminosum, cum difficultate & ardore, ante suppressionem sæpè sæpius cum stillicidio urinam excrevit. Aderat alvi evacuandæ frequens conatus.

In hac muliere vesicam fuisse affectam ex symptomatibus manifestum erat, quique eam torquebat morbus vesicæ ulcus audit.

Hujus multorum acrium humorum in sanguine existentium congeries remota fuit causa.

Pus verò interiorē vesicæ superficiem erodens, eamque perpetuò cum vicinis partibus vellicans, proxima fuit causa.

Corrosiva hæc sanies tot larva malorum est, hinc enim mingendi difficultas, urinæ ardor & stillicidium, imò omni-modā ejus suppressio, hinc summi dolores cum tensione & tumore in pube cæteraque enarrata symptomata producuntur.

Quam periculosus hic sit morbus & quam difficillimæ curationis, ostendimus in historia præcedenti, periti itidem & in praxi medica versati medici idem testantur passim;  
urina

urina enim acris quæ perpetuò in vesicam defluit non patitur commodam exulcerationis consolidationem.

Curationem tamen hoc modo absolvi : introduxi primo Catheterem, quo urinæ paravi exitum, quo immisso, urina effluxit liberè, pus enim unà cum erosis membranulis meatum urinarium omnimodò obstruxerat.

Ad tensionem sive potius inflammationem mitigandam, doloresque sedandos venesectionem imperavi, quæ à Chirurgo, è vestigio celebrata fuit, qui sanguinis uncias XV. eduxit, qui frigefactus pleuriticum cruorem referebat.

Sex horis elapsis Enema sequens injiciendum consului. *R. decoct. commun. pro Clystere ℥viiij. elect. è bacc. lauri ℥i. Cass. rec. extract. ℥ss. vitell. ovor. n°. ij. cum electuar. lenitiv. ℥iij. M.F. Enema.*

Quo injecto ægrota, emolumenti aliquid recepit, in similibus casibus & enema seq. nonnunquam præscribo: *R. Lact. Caprill. vel ejus loco vaccin. ℥viiij. mell. rosar. ℥ij. M.F. Clyster.* Hisce enim intestina roborantur, fæces eluuntur, dolorésque ab inflammatione orti demulcentur atque temperantur.

Cibum statim injunxi refrigerantem & parum humectantem, ut est ptisanæ cremor, oryza lacte cocta, asparagus cum brodio pullorum, gallinaceo, &c. Pro

Pro potu præscripsi lac  
amygdalatum dulce aut hor-  
dei decoctum cum liquiritia  
& malva tepidè assumen-  
dum.

Ut quiescat in lecto satis  
molli quamvis non pluma-  
ceo ; ut animus sit pacatus,  
ut somnus sit blandior, quem  
emulsione 4. sem. frigid. maj.  
papav. & laud. liq. conciliare  
omnem dedi operam. Quo-  
rum usu urinæ ardor & dolor  
aliquantulum fuerunt dimi-  
nuti. Leniora semper præmit-  
to, & si illis frustra tentatis,  
morbus ad summum perve-  
nit, urgétque necessitas, tunc  
ad sequentia progredior.

*Rx. Cantharid. penes ignem exiccatar. & pulv. gr. xij. Camphor. cum ol. amygd. dulc. solut. gr. xv. M. F. Boli n°. ij.* Quos trium horarum spatio assumpsit, urinas inspexi, eósdem bolos repetendos statim curavi, quos ambos assumpsit partitis vicibus, eodem tamen die, circa quintam pomeridianam urina effluxit copiosissima : pus, saniem, corruptas erosásque membranulas excrevit eâ ipsâ vesperâ quam plurimas.

Singulis tribus horis ( à dosi ad dosin ) assumpsit tres libras liquoris, tum emulsionis, tum brodii supra citati, tum lactis vaccini saccharo edulcorati.

Horâ somni præscripsi hoc seq.

*Rx. pilular. pacificar. Matth. 38.*

*Cam.*

*Camphor. solut. gr. viij. M. F. pil.*  
*nº. iij. inaurandæ.* Quas omnes  
 pro una dosi capiat. Dormivit  
 melius. Idem paregoricum impe-  
 ravi pro tribus noctibus subse-  
 quentibus. Interim bibebat de-  
 coctum hordei cum syrup. vio-  
 lar. & mell. rosar.

Philonium persicum (quod  
 Camphoram & Opium in se  
 habet) paregorici loco sæpè  
 sæpiùs substituo: quorum usu  
 intra tres septimanas convaluit  
 ægrota jam in vivis est, hila-  
 ris & benè sana.

Fonticulum in brachio  
 excitandum curavi postmo-  
 dum.

In mulieribus injectiones  
 præscribo quam rarò, in viris  
 sæpiùs.

Equi-

Equisetum, Symphytum, gummi Arabicum, bolus armena, medicamenta sunt convenientissima, in hisce casibus pro re nata usurpanda.

### *Historia Tertia.*

**D**. W. Uxor civis haud infimæ sortis circa *Guildhall* Londini, annos agebat xxiv. dolorem patiebatur (Anno 1692.) in imo ventre circa pubem, urinam excrevit furfuraceam, purulentam, graveolentam summâ cum difficultate & dolore acuto, post Mercurialium medicamentorum usum, imò post passam salivationem à medico fatis perito

&

& sagaci frustra institutam, me  
vocari curavit.

Præmissis præmittendis, Can-  
tharides Camphorâ mixtas ad-  
hibui justâ scilicet dosi, modo  
legitimo naturæ convenienti,  
delicatula enim est & tenellula,  
assumpsit tamen Cantharid.  
præparat. Camphor. an. gr. xxi.  
quæ capiebat partitis vicibus  
octo horarum spatio, asside-  
bam ægrotae, observando nè  
stimulus nimis diù duraret, bi-  
bit copiosè emulsiones, hydro-  
gala, decoct. hord. lac. amyg-  
dalat, &c.

Horâ somni assumpsit ano-  
dina, tribus quatuorve vicibus  
repetenda, post sufficientes per  
urinas purgationes, bibit aquas  
Spa-

Spadanas per dies ix. pro potu ordinario hydromel & iuscula pullorum, cum pulv. seq.

℞. Rad. lilior. albor. siccatar. ℥iiss. ceruss. antimon. ℥iij. nuc. moschat. Therebinth. Venet. ad friabilitatem coct. an. ℥ij. Rhodofacchar. ℥i. M. F. pulv. de quo capiebat drachmam unam singulis noctibus cum syrup. de nymph. ℥i. sicq; Deo cooperante convaluit hæc mulier, miserrima antea, jam verò coram ipsis invidis honorem meum vindicante.

### *Historia Quarta.*

**D**Ominam quandam modestiâ, & peculiari virtutis famâ dotatam (in Collomstreet)

*street*) vesicæ itidem ulcere Anno 1684. laborantem Cantharidibus, antea præscriptis, regulari itidem observatâ methodo, restitui: *Samuel Harmitage* Pharmacopœa Londinensis, vir probus & industrius, testimonium satis manifestum in medium producere minimè recusabit, etiamsi inter nos controversia summa suboriebatur, quæ tamen curatâ ægrâ tandem evanuit.

Camphora Cantharidum  
froenum fuit,

*Fitque dolorifugum quod fuit  
ante dolor.*

Sem-

Semper enim Camphoram miscui cum ipsis Cantharidibus, vel saltem pedissequa Cantharidum fuit Camphora.

Hydropicas mulieres Cantharidum ope Camphorâ correctarum restitui varias, unus testis J. C. Col. med. Lond. & E ect. in Epistol. ad Lectorem fuit recitatus, qui coram sedecim medicis post prandium hujus rei veritatem affirmavit.

Altera vicina fuit D. *Argill.* tunc temporis habitantis in loco dicto *Shadwell*, è regione Templi Parochialis ad insigne Galli.

Fœmina hæc quadraginta circiter annorum mirum in modum tumida, de urinæ suppressione & siti intensa valdè conquerebatur; aderat aquarum fluctuatio, cum de latere in latus sese circumvolvebat ægra, præmissis præmittendis præscripsimus hoc modo.

℞. *Cantharid. præpar. gr. ix. medull. panis, q. s. M. F. pil. n°. iij. quas omnes ass. pro una dosi.*

Post horas duas ℞. *Camphor. ut antea præparat. ℞. Conserv. fruct. Cynosbat. q. s. M. F. Bolus ass. quamprimum hisce urinas excrevit copiosissimas. Die proximo ass. hoc seq.*

℞. *Ingredient. pro decoct. amar. quantitat. duplicem in Pharmac. nostr. descript. sal. absinth. Div. Vin. Gallic. opt. ℥i. aq. Raphan. compos. ℥ss. M.*

3 s M. Ter de die assumpsit hujus  
infusionis 3 iv.

Tussi ingravescente præscripsi has  
pilulas: R. *Pilular. de styrac. gr.*  
*xviij. F. pil. n°. ix. ass. tres nocti-*  
*bus alternis. Convaluit.*

Cognata Dom. *Wilcox* apud  
*Tower-hill* eadem ferè metho-  
do annis jam octodecim elap-  
sis ab hydropè à me restitua-  
ta fuit. Tumor abdominis in-  
tantum increverat ut proprios  
pedes contemplare non potu-  
it, adhuc in vivis & sana est,  
non solum aquas extravasatas  
foràs eduxi, sed visceribus na-  
turalem procuravi tonum, quo  
labefactato & non restituto  
actum est de vita hominis.

*Histo-*

*Historia Quinta.*

**V**etula N. N. Anno 1688.  
 annos agens tres vel  
 quatuor ultra sexaginta, è  
 Gallia profuga, symptomati-  
 bus sub initio historiæ quartæ  
 enarratis affligitur, D. Georgi-  
 us Sutor Lithotomus, eam,  
 num à calculo laboraret, ex-  
 plorat, nullum calculum, sed  
 vesicam ulcere erofam invenit,  
 me vocat, varia præmisi, tan-  
 dem præscripsi pilulas N° xvi.  
 quævis pilula continebat gr. ij.  
 Cantharidum & totidem Cam-  
 phoræ, quas omnes assumpsit  
 tempore constituto, vetulam  
 hanc sanavi annis jam decem  
 K elapsis,

elapsis, ante inter & post me-  
dicamentorum jam satis sæpè  
recitatorum usum, observatus  
fuit Hippocratis Aphorismus  
primus, oportet autem non  
solum, seipsum præstare, op-  
portuna facientem, sed &  
ægrum & affidentes & exter-  
na. Ægri officium est ut pa-  
reat medico, oportet ut ad-  
stantes sint prudentes, periti,  
patientes, & diligentes. Me-  
dici præstantia, fama ac fortu-  
na illum adjuvat. Per exter-  
na intelligit omnia necessaria  
& nihil finistri exterius adve-  
niat.

Sic uxor D. S. Pharmacop.  
Lond. ( in Red-Cross-Street )  
longo tempore vesicæ ulcere  
labo-

laboravit; celeberrimorum medicorum opem jamdiu imploraverat, inito Anno 1688. Cantharidum ut supra præparatarum ope à me felicissimè restituta fuit, maritus accurato scrutinio Cantharides observavit, Camphoram meo itidem mandato uxori suæ propinavit.

Eodem modo sanata est D. C. generosa (in platea *Cheapside* prope templum dictum *Bow-Church*) post usum Cantharidum Chalybeata præscripsi, quæ assumpsit, paucis diebus, & convaluit.

*Historia Sexta.*

**D** Jeffery Sall (Pharmacopola in *Red-Lyon street Holborn*) Lithotomiæ sese subjecit Anno 1688. *Octobr. 1.* Duo calculi grandiores ab ipso feliciter fuerunt extracti & vulnus benè Sanatum.

Post aliquot Septimanas ad me venit, alium adhuc calculum in vesica relictum credens, vesicam ejus Cathetere exploravi, calculum nullum inveni, sed interiorem vesicæ tunicam à calculis excoriatam collegi, & mucum è minoribus membranarum glandulis in vesicæ cavitationem exstillare,

re, hincque dolores creari & urinæ effluxum impediri ex symptomatibus existimavi: hic ægrotus audiverat quod Pharmacopolæ cujusdam uxor (cujus mentionem feci in præcedentibus) per Cantharidum usum quàm felicissimè à me restituta fuisset, his fretus absque meo consilio Cantharidum efficaciam tentat, easdemque in ipsa substantia per totum mensem assumit, incipiendo à granis duobus, tribus, & sic quotidie ascendendo descendendoque vesicâ urinariâ continuo earundem usu stimulata, mucum tandem tenacem eâ copiâ foras eduxit, quâ totum implevit discum,

urinam ab eo ad hoc usque  
tempus excrevit absque ulla  
difficultate, & vixit huc us-  
que sanus & athleticus.

Toto eo tempore ut ex ip-  
sius ore audiui assumpserat qua-  
draginta circiter grana Can-  
tharidum, ejus testimonium  
fide & admiratione dignum  
hic inferere non abs re fore  
judicavi. Vir in vivis est, ho-  
nestus & candidus Vir.

Emulfiones, hydrogala toto  
bibebat tempore; balsamica  
etiam assumpserat inimico Ca-  
stris expulso.

*Histo*

*Historia Septima.*

**J**uvenis generosus annos natus xiv. Filius D. Joannis Cheeck Eq. Aurat. Anno 1687. per dies xiiij. totâ urinæ suppressione laboraverat ( nullus supervixit diem xvij. hoc morbo laborans, uti hoc in mea praxi observavi ) incipiebat esse lethargicus, vocatus fui ut consilium inirem cum duobus eminentioribus medicinæ Doctoribus D. S. ( jam medico Regio ) & D. C. juvenem in summo vitæ esse periculo dicebam, si vellent mecum convenire in medicamento quodam quod à Pharmacopola

Londinensi procurare obtuli,  
spes aliqua affulgeret quod  
restitueretur ægrotus; deside-  
rabant formulam, quam non  
pertinaciter, sed cum reveren-  
tia recusabam. Senior medicus  
mihi assentiebatur; alter tan-  
dem persuasione matris gene-  
rosi ægroti in nostram par-  
tem cessit, medicamentum fuit  
hoc seq.

℞. *Cantharid. præpar. ʒiij. oculor.*  
*Cancr. pulv. sem. amios an ʒß.*  
*sal. prunell. ʒiij. infund. in Spirit.*  
*Vin. rectificat. Camphorat. ʒiij. F.*  
*infusio.*

℞. *Decoct. pro syrup. Dialth. ℥ij. sy-*  
*rup. de Limon. ʒiv. infusion. præ-*  
*ced. ʒiß. M. F. Apozema.*

Ægro-

Ægrotus noster assumpsit  
 hujus Apozematis ℥iv. pro pri-  
 ma dosi, quam hauriebat cir-  
 ca horam undecimam anteme-  
 ridianam, quam dosin tertiā  
 quāque horā repetivit, horis in-  
 mediis hordeacea, avenacea,  
 similiave bibebat juscula: cir-  
 ca sextam vespertinam serosam  
 materiam colore odorēque uri-  
 næ similem magnā quantitate  
 (ultra ℥iiss.) absque ullā fæcum  
 alvinarum intermixtione per  
 sedes excrevit, unde cerebrum  
 totumque genus nervosum sta-  
 tim sublevebatur, noctem trans-  
 egit non valdè quietam, auro-  
 ra proxima eminxit urinas viā  
 naturali, quibus cerebrum (se-  
 rosa

rosa enim colluvies substanti-  
am ejus inundaverat) fit libe-  
rum, spiritusque de novo ex-  
citantur, antea quidem torpi-  
di, nunc vero officii sui com-  
potes. Superstes adhuc gene-  
rosus hic est juvenis & bene  
fanus.

*Historia Octava.*

**P**Lurima Cantharidum præ-  
ter quæ retuli felicitis even-  
tus experimenta habui; quam-  
vis fateor multas mihi morbo-  
rum historias excidisse, qua-  
rum melius nunc reminiscerer,  
si unquam vel somniare potu-  
issem, tempus aliquando fore,  
quo,

quo, propter medicamento præ-  
 scriptionem tanto cum successu  
 toties experti carcere dignus à  
 censoribus judicarer, sed vel  
 unicum illis refutandis exem-  
 plum sufficit, quapropter his-  
 ce paucis ut contentus sit quis-  
 libet candidus Lector non ve-  
 reor, præsertim cum indies ad-  
 huc (quicquid ogganiant ma-  
 levoli) eadem fretus experi-  
 entiâ, Cantharides felicissimè  
 præscribo, parum ergo nostri  
 injuriâ censurâ evicere, nisi  
 fortè quod invidiam suam ac  
 inscitiam proborum contem-  
 ptui & peritorum risui magis  
 exposuerint. Ut autem constet  
*Vanum illud malæ praxeos*  
*boatum*

*boatum* sententiam nostram  
de Cantharidibus nequaquam  
mutasse, duos hic casus addam,  
quos post vincula injustissima  
& contumeliam mihi immeri-  
tò inustam describere licuit.

A. R. Vigesimo nono die Ju-  
nii, Anno 1697. annos agens 28  
temperatura biliosissima, men-  
struam purgationem debite à  
longo tempore non habuerat,  
unde sanguine pravis humori-  
bus impleto in melancholiam  
incidit hypochondriacam &  
temporis progressu in dysu-  
riam, vesicæ inflammationem  
& ulcus; præcipuorum me-  
dicorum opem jam per novem  
annos exploraverat, diuretica,  
lenientia,

lenientia, antimonialia, opia-  
taque assumpserat medicamen-  
ta quam plurima, at omnia  
frustrà, vitam degebat miserrimam: urina erat foetidissima,  
viæ urinariæ puris acrimoniâ  
tali modo erosæ, ut à plurimis  
annis immediatè post mictum  
se se aquâ frigidâ lavare coacta  
fuerit.

Mulier hæc meam tandem  
opem implorat, quàm exactè  
examinavi, Catheterem argen-  
teum in vesicam immisi, cujus  
è vestigio color candidulus in  
nigrum abibat.

Simulac quisnam esset mor-  
bus suspicarer, medicos quos-  
dam ex celebrioribus adibam,  
cum

cumque illis communicabam,  
antequam illi medicamenta  
propinarem.

Venæsectione & enemate  
præmissis hoc modo præscrip-  
si.

*Rx. Cantharid. integr. tost. non cre-  
matar. gr. xxi. Camphor. ol. amyg-  
dal. dulc. solut. ʒi. cum s.q. conserv.  
Nymph. F. Boli n°. iij. quorum  
unum cap. 4tâ quâque horâ.*

Ante, cum & post usum  
Cantharidum bibat lac vaccin-  
saccharo edulcoratum, cujus  
ass. ℥ij. intra quatuor horarum  
spatium, hoc est ℥vj. horis duo-  
decim.

Post

Post sufficientes per urinas  
 evacuationes laxativa quædam  
 ex manna cum syrupo rosar.  
 solutivo bis terve capiebat, qui-  
 bus postquam per plurimos  
 annos miserrimè symptomati-  
 bus supra enarratis afflicta fu-  
 isset, & optimæ inter nos nô-  
 tæ præscriptiones irritò ten-  
 tâset, tandem simplicissimâ  
 hac methodo à me feliciter  
 restituta, convaluit.

Testes hujus historiæ fue-  
 runt expertissimus Dr. Francis-  
 cus Bernard. Sagacissimus Dr.  
 Guilielmus Gibbons. Dr. Praile  
 Watson. Dr. Christophorus  
 Crell. Dr. Tho. Botterell. Dr.  
 Georgius Flemming, Viri do-  
 ctrinâ

etrinâ & omnium virtutum  
genere eminentes.

*Historia Nona.*

**A**P. Uxor mercatoris Lond.  
32. annorum me accer-  
fivit die 17. Sept. Anni 1697.  
quæ cum difficultate urinam  
excrevit, summo cum dolore,  
guttatim, atque ardore perpe-  
tuo, quam quum examinâssem  
atque Catheterem in vesicam  
introduxissem ( consanguinei  
eam vesicæ calculo laborare  
metuebant ) collum vesicæ in-  
veni tumidum, inflammatum,  
&c. quem tumorem quum  
digito premerem, pus apparu-  
it,

it, erupit: inquisivi hujus affectus causam; retulerunt adstantes ipsam difficiliorem partum novem septimanis tunc elapsis passam fuisse, magnumque foetum grandiori capite, non vulgaris obstetricis, sed dextri & experti obstetricantis Medici ope D. Chamberlain (instrumento matricis speculo dicto adhibito) exclusisse.

Præmissis præmittendis seq. præscripsi medicamenta.

*R. Cantharid. integr. prope ignem siccatur. gr. xxxvi. Camphor. ol amygd. dulc. solut. ðij. cum conserv. Nymph. q. s. M. F. massa, ex qua formantur Boli n°. vi. quorum cap. primum*

num cras manè horâ septimâ,  
secundum undecimâ, tertium  
quintâ pomeridianâ, tunc omit-  
tat.

Horâ somni cap. Bolum  
seq.

*℞. Mass. pilular. pacific. Camphor. ut  
supra solut. an. ℥ss. M. F. Bolus.  
Aurorâ proximâ cap. Bolum  
quartum, undecimâ quintum;  
quintâ pomeridianâ sextum.*

*℞. Sem. 4 frigid. maj. an. ℥i℥. sem.  
violar. purpur. saxifrag. an. ℥ij.  
F. s. a. Emulsiō ad ℥i℥. cui add.  
Syrup. violar. alb. an. ℥ij. M.*

Assumpsit tres Bolos absque  
ullis doloribus; ante eorum as-  
sumptionem bibit Emulsionis  
℥iij. vel ℥iv. inter dosin assump-  
tam

tam & novæ assumptionem bibit lactis vaccini saccharo edulcorati ℥iij. quorum usu excrevit urinam copiosam fæculentamque, circa septimam vespertinam frequentiores urinæ micturitiones secutæ sunt, quas servari jussi: quartam & quintam dosin assumpsit die proximo, ultimam omisit, intentionem enim meam in totum compleveram.

Secundâ nocte anodinum repetebat, postmodum decocta lenitiva, hordeacea, liquiritiata, mellita, &c. unâ cum succino, coralliis & similibus assumpsit, à quorum usu ulcus curatum fuit. Desideravi D.

Richardum Blackmore Eq. Aurat. Regium Medicum, ut hanc visiteret foeminam, invitatus hoc fecit, urinas examinando accurate, pulsum explorando attentè, scedulasque à me præscriptas inspiciendo.

Talem foeminam annis jam novem elapsis curavi medicamentis ferè iisdem supra citatis, cujus filius paulò ante à vesicæ calculo per incisionem sanatus erat: Nomen ei erat D. Wood non procul à pago dicto GREENWICH.

Hisce omnibus quanquam fideliter communicatis, nihil restat, quin *turpe putant aliqui mutare sententiam, etiamsi veritas*

*ritas & aperta suadet demon-  
stratio, cum optimè nōrint quod  
casu multa reperta esse contin-  
gat, quæ discere quivis à quo-  
vis possit, à juvene senex, à stulto  
intelligens, sunt verba magni  
Harvei.*

Curiosiora quædam Cantha-  
rides spectantia circa hujus tra-  
ctatuli finem addere proposu-  
eram in superioribus, earun-  
dem, viz. Anatomem per mi-  
croscopium & ignem institu-  
tam, qui hæc & alia velit, ad-  
eat doctissimum Geyerum &  
peritissimum Muraltum, meum  
annis jam ferè triginta elapsis,  
Lugd. Batav. condiscipulum,  
vel fortasse proximâ hujus li-  
bri

bri editione id à meipso præstitum habebit.

### *Historia Decima.*

**A** Nno 1697. Nov. 14<sup>to</sup> quatuor calculos extraxi è Vesica Dominæ Browne (tunc temporis habitantis in *Hatt and Tunn-yard* in *Hatton Garden*, jam vero habitat in *King street* in *Westminster*) ulcere simul vesicæ laborabat foetidissimo: Camphoræ Cantharidibus nuptæ usu à me curata fuit, & jam in vivis est loco supra citato, hilaris & sana.

Maria Calloway in *Warwickshire*, Neptis D. Wilcox in  
*Tower*

*Tower-hill* Cantharid. usu ab  
 hydrope perquam difficili cu-  
 ravi annis jam duodecim &  
 ultra elapsis, nec unquam re-  
 cidivum passa fuit; adhuc in  
 vivis est & bene sana.


--- γήθησεν δὲ θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη (πάν-  
 'Οὐε ῥά οἱ πάμπρωτα θεῶν ἡγήσατο πάντα  
 'Εν δὲ Βίῳ ὦμοισι καὶ ἐν γόνασιν ἔθηκε,  
 Καὶ οἱ μῦθ' ἑτάροισι ἐνὶ στήθεσσι βέβηκε.

Hom. Iliad. xvij.

**F I N I S.**

E R R A T A.

**P**Ag. 2. lin. 8. leg. *varias*. P. 9. l. ult. l. *in lbin*.  
P. 11. l. 14. l. *ut quam*. P. 13. l. 17. dele &.  
P. 39. l. 3. l. *conscripto*. P. 43. l. 2. l. *minime*. P. 46.  
l. 11. dele *hoc spiritu*. P. 52. l. 8. l. *an*. 35.  
P. 57. l. 14. post *successu* dele *comma*. P. 58. l. 16. l.  
*affirmant*. P. 66. l. 13. l. *duri*. P. 69. l. 3. post  
*vaginae* dele *comma*. P. 85. l. 1. l. *ulteriorem*. P. 119.  
l. 3. pro *filius* l. *nepos*.



4

1

85

1

